ferente M. Antonio Marci filio conſule, Julius appellatus eſt:
A quòd hoc menſe ad quartum Idus Quintilis, Julius procreatus ſit. Auguſtus menſis Sextilis antea vocabatur, donec honori Auguſti datus fuit ex Senatuſconſulto, quod tale eſt: Cùm Imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili, & primum conſulatum inierit, & triumphos tres in urbem intulerit: & ex Janiculo legiones deductæ: ſecutæque ſint ejus auſpicia, ac fidem: ac Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit, finiſque hoc menſe bellis civilibus impoſitus ſit, atque ob has cauſas hic menſis huic imperio feliciſſimus ſit, ac fuerit: placere ſenatui, ut menſis Auguſtus appelletur. Idem plebiſcitum factum ob eandem rem, Sex. Pacuvio Tribuno plebem rogante. *Macrob. l. 1. c. 12.*

Octobrem ſuo nomine Domitianus invaſerat. Sed ubi in fauſtum vocabulum ex omni ære, vel ſaxo, placuit eradi, menſes quoque uſurpatione tyrannicæ appellationis exuti ſunt. Cautio poſteà principum cæterorum, diri omnis infauſta vitantium, menſibus à Septembri uſque ad Decembrem priſca nomina reſervavit. *Macrob. l. 1. c. 12.*

NOMINUM USUS NULLUS. QUI NOMINIBUS CARENT UNIVERSIM.

B A Garamantibus decem dierum itinere collis eſt ſalis, & aquæ, accolentibus hominibus, quibus nomen eſt Atlantibus: ſolis omnium hominum, quos ipſi novimus, innominatis. Nam ſales quidam apud eos vocantur atlantes: ſingulis autem eorum nullum nomen imponitur. *Herod. lib. 4.*

ABSTINENT, VEL VOLUNTATE privata, vel auctoritate publica. Cauſa ſcilicet,

Dignitatis alicujus.

CLAUDIUS CÆSAR peregrinæ conditionis Homines vetuit uſurpare Romana nomina, duntaxat gentilitia. *Sueton.*

Ferdinandus, & Iſabella Catholici reges ſtatuerunt, ne Dux, vel alius, quamvis nobilis, in litteris, quas ad aliquem ſubditorum ſuorum mitteret, ſuę dignitatis titulum ſuperponeret. Hoc enim regiæ dignitati duntaxat convenire dicebant. *Marinæus l. 21. rerum Hiſp.*

Libertatis.

Athenienſes Harmodii, & Ariſtogitonis, qui Hippiam in-
C terfecerunt, velut devota nomina libertati, tanti fecerunt, ut lege ſanxerint, ne illa Servis indere liceret. Quo exemplo Domitianus Metium Pompoſianum, quòd nomina Magonis, & Hannibalis ſervis indidiſſet, ſupplicio affecit, tanquam clariſſimorum virorum nomina ſervili contagio polluiſſet. *Alex. lib. 3. cap. 20.*

Eſt litteris proditum, ut niſi inter ingenuos, aut ex ingenuis oriundos, nullum gentilitatis cognomen foret. Nam ſervorum, libertorumque nulla cognatio, nec gentilitas erat. *Alex. lib. 5. cap. 4.*

Modeſtiæ.

Caſſander Macedoniæ Rex, cùm omnibus libellis, & Epiſtolis Rex ſalutaretur, nunquam tamen ſibi regium uſurpavit nomen.

Porus Indorum Rex ab Alexandro victus, in poſterùm núnquam ſe regem appellari ſuſtinuit. *Alex. l. 2. c. 19.*

Infamiæ.

Apud Rom. Marci prænomen veluti perniciosum, & infame Manlia gens magnopere devitavit, poſtquam M. Manlio crimine affectati regni, turpi judicio convicto, ne cui gentili
D nomen Marco foret, ſenatuſconſulto cautum fuit, quòd generi, & nomini ſuo inuſtam dedecoris notam attuliſſet. *Alex. lib. 3. cap. 4.*

Claudia gens, propter gentilium flagitia, cùm Luciorum alter cædis, alter latrocinii damnatus, ad diluendam memoriam dedecoris, Lucii prænomen devitavit. *Ibid.*

Religionis.

Domini, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti nomen, in quo omnes terræ generationes benedictæ fuerunt. Angelis venerandum, hominibus adorandum, dæmonibus tremendum, conſtanti Chriſtianorum pietate nulli poſthac impertiendum religioſa obtinuit conſuetudo. Nam cùm præter illum nulla ſit ſalus, nulli quoque creaturæ Salvatoris appellatio convenire poterit.

Apud Græcos cùm ἀθῆναι, & ἀθηναία diceretur Minerva dea, mulieras Athenienſes non ἀθηναῖαι vocabantur (cùm tamen viri ἀθηναῖοι dicerentur) ſed ἀσταὶ, & ἀστικαὶ propter reverentiam deæ, nomen deæ mortali feminæ tribuere pia-
E culare exiſtimantes.

NOMINIS CELEBRITAS.

☞ *Refer huc ex Tit. de Honore, Fama. Inſcriptione. Inſignibus.*

* APOPHTHEGMATA ETHNICORUM.

Antiſthenes, iis, qui appeterent immortalitatem, unicam viam oſtendit, ut juſtè, pièque viverent. Sed vulgus hominum è ſtructuris, ſtatuis, trophæis, ac libris ſibi promittit immortalitatem. *Laert. l. 4. c. 1.*

Bion Gloriam dicebat eſſe matrem annorum, ob id opinor, quòd cum hominis vita ſit brevis, honeſta memoria per multa ſecula propagatur. *Laert. l. 4. c. 7.*

Plato rogatus ecquid eſſet futurum ipſius monumentum, quemadmodum ſuperiorum? Primum, inquit, parandum eſt nomen, ita monumenta futura ſunt multa. Senſit, hominis memoriam optimè ſervari in mentibus hominum, optimèque propagari ſcriptis virorum eloquentium. *Laert. l. 3.*

Non exiſtimabant nomen invidioſum, & moleſtum imponendum magiſtratui, qui civitatis liberæ adminiſtrationem haberet, tum ipſorum ſubditorum cauſa, ne odioſis appellationibus perturbarentur, tum etiam ut caverent, ne iis, qui magiſtratus acciperent, vel per imprudentiam ab aliis injuria
F fieret, vel ipſi aliis facerent. *Dion. Halic. l. 5.*

Nomen maximum in bello momentum. *Curt. l. 5.*

Nomina inſignia oneroſa ſunt. *Lamprid. in Alex. Severo.*

Regium nomen (in bello præſertim, quod adversus regem geritur) plurimùm valet. *B. Facias. hiſt. l. 6.*

Fuere quondam rerũ nomina quàm optimè diſpertita mortalibus: ex hiſce nominibus à fortitudine ſecernitur audacia, quorum alterum cuicunque acceſſerit, dedecus, ac diſcrimen inducit, alterum virtutis opinionem. *Procop. de bello Goth. l. 1.*

Non me præterit, magnas turbas inter homines rerum nomina immutata concitare: veluti ſi quis humanitatem dicere improbitatem velit. Inde rectiora quæque corrumpi, ac perturbari contingit. Siniſtrum quippe, & planè improbum eſt, eos qui leges ad verum acrius circumſcribere profitentur earum nominibus pro velamentis ad impietatem, & nequitiam uti, ut peccare intrepidè, & pravitatem præ ſe tutius ferre queant. *Procop. de bello Goth. l. 3.*

* CHRISTIANORUM.

Ex Apophthegmat. Laurentii Beyerlinck.

Nil æquè valere ad rei cujuſpiam naturam, & rationem explicandam, ac congruam Nominis Impoſitionem, docet in
G ſua Logica Philoſophus. Quinimmò pluribus nominibus ſua omina ineſſe, teſtantur Sacræ litteræ: Certè B. Hilarius, dum quidam per calumniam eum Gallum nuncuparet: Non ſum, inquit natus Gallus, ſed ex Gallia. Tu verò Leo es (erat enim hoc nomine) ſed non ex tribu Juda. *Joan. Selethus cap. 22. L. Beyerl. loco citato.*

Habebat Henricus VIII. Angl. R. inter alios, quibus familiariter utebatur, unum Franciſcum Brianum, multorum ſcelerum architectum. Quem, dum in re quadam nefaria conſultorem adhibuiſſet, ut palàm inſignem ejus impietatem teſtaretur, hoc nomine compellabat: Næ tu meritò meus es inferni vicarius. *Guill. Raſtel. in vita Thomæ Mori.*

Cùm autem id unum ageret idem Henricus VIII. ut repudiata Catharina, vita, & genere nobiliſſima Heroina, Annam Bolenam, quam, Thoma Boleno in Galliam miſſo, ex uxore ejus ſuſcitaverat, in adulterinum thalamum ſumeret, eaque meretriciis ſuis artibus Regis oculos faſcinaret; rumor in Galliam (ubi profuſam ſuam libidinem cum Galliarum Rege celare non potuerat) defertur, quo audito, palàm & paſſim hoc
H nomine natabat in Procerum labris: Rex Angliæ Henricus, in uxorem ducturus eſt mulam regis Galliarum. Dignum profectò patella operculum. *I. Sleidanus, l. 9.*

Pomponius Lætus Romæ cuſtodiæ traditus, accuſabatur quod (veluti hac ætate apud pleroſque Novatores in uſu) proprio abdicato, alienum nomen antiquitatis deſiderio affectaſſet. Pro Petro enim ſe Pomponium appellavit: & accuſanti ſe Vianneſio Antiſtiti, ait: Quid tibi, & Paulo Pontifici, ſi mihi fœniculi nomen indidiſſem. *Sabell. in vita.*

Addam aliud, ſed in re jocoſa. Quidam ſibi indiderat Mercurii nomen: quem, quòd incompoſitis eſſet moribus, & lingua, ac Punicæ fidei, alius hoc ſcomate illuſit:

Te magis elinguis, cùm ſit nec agreſtior alter,
Quare Mercurii nomen ineptè geris?
Non ita quod præſtas dicendi laude, vocaris:
Sed potius turpi furta quod arte facis.

Coll. ex Epigram. G. Sabini.

Non

Non abſimili modo alium, cui Urbanus nomen, parum
A admodùm urbanum potorem non nemo perſtrinxit.

Diceris Urbanus: ſed nominis immemor hujus,
Semper inurbanus, cùm bibis, eſſe ſoles.

Ibidem.

* NOMENCLATORES.

QUI OLIM FUERINT.

Nomenclatores ſunt, qui nominatim ſingulos appellant: ut putà in foro: In convivio convivas.

Olim enim convivæ poſtquam accubuiſſent, numerabantur per eos, quibus id muneris datum erat, qui γυναικονόμοι appellabantur. Qua re elegans eſt fabella. Paraſitus quidam ſe convivio ingeſſerat: cùmque poſtremus accumberet, γυναικονόμοι numerum convivarum ineuntes, eum juſſerunt abire, quod contra numerum, & ſupra illum (xxx. namque erant) ſe ingeſſiſſet. At ille. Numerate inquit denuo, & à me ſumite initium, & non ero ſupra numerum.

Illi autem numeratores vocantur Latinis propriè Nomenclatores. De quibus Ammianus Marcellinus, quòd ſoleant
B nonnunquam mercede accepta, cœnis, aut prandiis inſerere ſubdititios ignobiles, & obſcuros.

Itaque numerabant, & quemque ſuo nomine appellabant Nomenclatores. Atque ob id Magiſtratuum candidati, hujuſmodi homines ſecum ducebant, qui ſingulorum nomina illis indicabant, quo ſingulos proprio nomine, quod illo ævo honorificum erat; ſalutarent ad favorem, & ſuffragia civium aucupanda.

Etiam in exercitu, Imperatores eos adhibebant ad militum nomina cognoſcenda, eorumque favorem conciliandum. *Apulejus alibi.* Et ad Nomenclatorum mox citati venerunt.

Suetonius in Auguſto refert, illum die Senatus, nunquam patres ſalutaſſe, niſi in curia, & quidem ſedentes, ac nominatim, propriis videlicet nominibus; ſingulos nullo ſubmonente (i. non indigens nomenclatore) & diſcedens ſedentibus eo modo valedicebat.

Porrò de Nomenclatoribus ita ſcribit *Guido Panciroll. Libello de reb. memorab.* Habebant Romani ſervos quoſdam, qui ſingulos cives Romanos diſcerent cognoſcere, & horum nomina memoria tenere, quæ prout quiſque obvius fiebat, Dominis ſuis Candidatis, ſeu Magiſtratum aliquem ambientibus Servi illi ſuggerebant, ut ſuo quemque nomine compellare poſſent Domini, atque ita benevolentiam obviantium captarent. Nam ut *Plutarchus* ait, maiori voluptate adfficitur, qui
C ſuo ſe nomine compellari audit, ejuſque animus appellanti magis conciliatur. Servi iſti Nomenclatores nuncupabantur: quorum *Cicero in Oratione pro Murena* meminit, dum ipſum quoque M. Catonem, ait Nomenclatorem habuiſſe, qui Civium obviàm factorum nomina ipſi inſuſurrarit. Idem enim frequenti in uſu erat Candidatis Magiſtratum ambientibus: qui poſteàquam erant deſignati, multò ſalutabant negligentius.

Prodiit aliquando ſub nomine Nomenclatoris liber Adriani Junii, in quo omnium rerum nomina explicantur, opus ſanè utile, & eruditum.

Nonæ Menſium.

Quid quibuslibet evenerit. ☞ *Quære Locum Muſicum.*

Normannorum Duces Fortes.

☞ *Vide Fortitudo.*

Northumbrorum Reges.

D ☞ *Vide Magiſtratus.*

Norvegiorum Reges.

☞ *Ibidem.*

Noſocomia.

☞ *Vide operæ Mechanicæ, verſantes circa rem. inanimatam artificialem.*

Notarii.

E ☞ *Vide loco de operis Mechanicis. Tit. Mechanicæ operę vicariæ pro homine agentes. §. Amanuenſes. Scribæ. Notarii.*

☞ *Vide etiam Locum de Scriptione, & Scriptura.*

Nothi.

☞ *Quære Illegitimi. Spurii.*

Novercæ.

Fidæ, Perfidæ. ☞ *Vide Tit. de Fidelitate, & Perfidia*

Novercas ducere. ☞ *Vide locum de Amicitia conjugali. Tit. Gradus conſanguinitatis, & affinitas.*

* Novitas.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

NOvitas, ſive Novum, eſt id, quòd nunc primùm accidit. Et dicitur tam de tempore, quàm de eventibus. Etiam
F novum dicitur, quod ante fuit, ſed innovatum eſt accedente aliquo: Aut cujus ſimilitudo præceſſit nulla, aut quod eſt contra conſuetudinem curſus naturæ.

Ovid. 3. de Ponto.

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum,

Et *Calphurnius Eccl. 7.*

Vilia ſunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quicquid ſpectavimus olim,

Ovid. 4. Triſt. 6.

Fortior in fulva novus eſt luctator arena,
Quàm cui ſunt tarda brachia feſſa mora.
Integer eſt melior nitidis gladiator arenis,
Quàm cui tela ſuo ſanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites navis modò facta procellas:
Quàm libet exiguo ſolvitur imbre vetus.

AFFECTATÆ VOCUM SIGNIFICATIONES.

☞ *Vide Grammatica. Ibid. Exercitatio Grammaticæ.*

STUDIUM NOVITATIS.

☞ *Quære locum de Inhumanitate. Tit. Inhumanitas conſiderata reſpectu rerum. §. quoad Nova.*

☞ *Item ex loco de Amore, & ſtudio bonorum præſentium.*

ODIUM.

☞ *Vide locum de Odio.*

G
* Noviſſima.

QUÆ SINT. ET CUR ITA VOCATA.

NOviſſima communi vocabulo appellantur à Scriptoribus Eccleſiaſticis, quòd inter cætera, quæ accidere homini poſſunt, extremum ſibi locum vindicent.

Quatuor autem numero prohibentur. Primùm Mors corporalis, quæ eſt ultimum, ac terminus vitæ præſentis.

II. Eſt Judicium, ſive particulare, ſive univerſale; quod eſt ultima ſententia de hominibus danda. Suntque hæc duo omnibus communia.

III. Eſt Infernus, iniquorum finalis merces.

IV. Gloria cæleſtis, electorum præmium conſummatum.

EORUM MEMORIA, ET CONNEXIO.

Monet in Deuteronomio Moyſes, optando id ita fieri; ut populus qui erat abſque conſilio, ſaperent, ac intelligerent, & noviſſima providerent. *Deut. 32.* Metu enim noviſſimorum eos ſtimulat, ut ab Idolis convertantur, & à prævaricatione ad cor redeant. Etiam Eccleſiaſticus monet, Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. *cap. 7.*

Et quidem illa inſeparabiliter connexa ſunt, ut unum propter aliud ſummopere pertimeſcendum. Cur enim mortem
H tantopere horreamus, ſi non Judicium tam rigoroſi Judicis ſubſequeretur; Eccur etiam iſtud tanta formidine conciperemus, niſi tam grave, & æternale comitaretur ſupplicium, & de beatitudine conſequenda incertitudo; Sic ut ipſe Paulus quãvis nihil ſibi conſcius eſſet, tamen non ob id ſe juſtificatum confitetur, quia inquit, qui judicat me, Dominus eſt. Nempè judex inexorabilis, rigidus, &c.

MEDITATIO UTILIS.

Quia omnem in opere bono acediam tollit.

☞ *Vide Locum de Acedia. Ubi pluribus exẽplis hoc confirmatur. Iis verò, quæ ibi dicta ſunt, adjicimus ſequentia.*

Abbas

Abbas Ammonius *in vit. Patrum l.5. de Compunctione* ro-
A gatus ut diceret verbum ædificationis: Cogita, inquit, quaſi reus in carcere, tibiq; dic: Væ mihi, quomodo habeo aſtare ante tribunal Chriſti; & quomodo habeo actuū meorum reddere rationem; Si ſic ſemper meditatus fueris, poteris ſalvus eſſe.

Et Abbas ELIAS: Ego inquit, tres res timeo. 1. quando egreſſura eſt anima mea de corpore: 2. quando occurſurus ſum Deo: 3. quando adversum me proferenda eſt ſententia.

Theophil. Archiep. moriturus, dixit: Beatus es, Abbas Arſeni, quia ſemper hanc horam ob oculos habuiſti.

Abb. AGATHON moriturus, tres dies manſit immobilis, oculos apertos tenens, pulſaverunt autem eum fratres, dicentes, Abba, ubi es? & ille reſpondit: In conſpectu divini judicii aſſiſto; dicunt ei: Et tu times? Et ille dixit: Interim laboravi virtute, qua potui, in cuſtodiendis mandatis Dei, ſed homo ſum, & neſcio, utrùm placuerint opera mea coram Deo. Dicunt ei fratres: Et non confidis de operib. tuis, quin ſecundùm Deum ſint? Et dixit ſenex: non præſumo, niſi venero ante Deum, aliter enim ſunt judicia Dei, aliter hominum. *Ibid. cap. 11. de ſobrietate.*

Abbas EVAGRIUS dixit: Memor eſto ſemper exitus tui, & non obliviſcaris extremi judicii, & non erit delictum in anima tua. *Ibidem.*

Inſignis quidam Abbas in eremo rigidè vivens, rogatus, Quomodo ſuſtines laborem hunc? Reſpondit: Totus labor
B temporis mei, quem hic ſuſtineo, non eſt idoneus comparari ad unam diem tormentorum, quæ peccatoribus in futuro ſæculo præparantur. *Ibid. c. 7. de patientia.*

Alius Senex dixit: In omni re increpet homo animam ſuam dicendo ei: Memor eſto, quoniam oportet te Deo occurrere. *Ibid. l. 7. cap. 21.*

* Novitius.

QUINAM HABENDUS.

NOvitium communi, ac recepta ſignificatione dicimus illum, qui vel recenter ad fidem, aut religionem Chriſtianam convertitur, vel inſtitutum ſacri alicujus ordinis, ſive Religionis amplexus eſt, antequam ſe illi tribus votis obſtrinxerit, quem vulgò dicimus exiſtere in anno probationis.

NOVITIORUM DOCUMENTA.

Caſſian. l. 4. de inſtitut. Renuntiant. cap. 8. Novitius renuntiaturus ſæculo, in monaſterio, inquit, primitus docetur, ſuas vincere voluntates, & ea illi ſæpius imperare ſtudent, quæ ſenſerint animo ejus eſſe contraria. Pronuntiant enim nullatenus poſſe Monachum prævalere iræ, vel triſtitiæ, aut ſpiritui fornicationis, niſi prius didicerit mortificare per obedientiam ſuas voluntates, ſed nec humilitatem quidem cordis veram,
C nec cum fratribus concordiam firmam poſſe retinere, nec in monaſterio diutiùs permanere eum, qui voluntates ſuas non didicerit ſuperare.

Rurſum Novitii, ait *Ruffinus*, eſt ſtudere puritati cordis, eique, quod ait Pſaltes *Pſalm. 45.* Vacate, & videte, quia ego ſum Deus: denique conari, ut ad infantiam, & primam innocentiam redeat.

Pachomius ex regula ſibi ab Angelo tradita, juſſit novitios operari manibus, & opera ſua facere ſimpliciter, eoſque à ſtudiis ſacratioribus arceri.

Pinufius Abbas *apud Caſſian. l. 4. de inſtit. cap. 11.* novitium docet, eum debere imitari, & induere Jeſum crucifixum, ut timor, Dei ſit illi crux, qua jugis crucifigat ſuos appetitus, præſertim excellentiæ, & ſuperbiæ, per veram, & aſſiduam humilitatem, & humiliationem.

Caſſian. *l. 1. cap. 41.* novitium docet, ut in monaſterio juxta Pſalmiſtę ſententiam ſit tanquam ſurdus non audiens, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, nihil diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ ei fuerint imperata. Ergo, ait patientiam tuam non debes ſperare de aliorum virtute, id eſt, ut tunc tantùm eam
D poſſideas, cùm à nemine fuerit irritatus.

Novitios avertere à ſtudio pietatis, & Religionis quàm noxium, Deoque ingratum.

☞ *Conſule locum de Religione.*

* Nox.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

NOx, à noceo, quòd oculis noceat: vel à Græco νὺξ. Hinc Bacchus Nyctelius cognominatus eſt, quòd ejus Sacra noctu celebrarentur. Comeſſationes enim, & ebrietates ut plurimùm ſunt nocturnæ. Hebr. *Latil.* Cognationem habet cum verbo *Lia*. Reclinavit ad dormiendum, pernoctavit, noctem totam tranſegit ſive dormiendo, ſive vigilando, ſive ali- E
quid operis faciendo. Affinitate quoque reſpicit ad *Jalal*, ejulavit: nam nox, & tenebræ per metalepſin accipiuntur pro triſtitia, & ejulatu, perinde ut dies, & lux pro lætitia, & exultatione,

Nox eſt menſura illius curſus, quo Sol ſub terra orbis plagas illuminat. *S. Thom. in 4. phyſ. text. 128.*

Nox per ſe eſt menſura lationis Solis, quæ eſt ſub terra, ſed per accidens etiam quietis animalium. *Sim. in 4. Phyſ. tex. 118.*

Nox una totum tempus apparet poſt mortem. *Plut. Apoph.*

Nox, & dies ſunt unius, & ſapientiſſimi circuitus Solis circumvolutio. *In Timo,*

Et *Ovid. lib. 4. Faſt.*

Jam color unus ineſt rebus, tenebriſque teguntur
Omnia, tum vigiles conticuere canes,

Et 1. *Triſt.*

Jamque quieſcebant voces hominumque, canumque

Virgil. quoque *l. 2. Æneid.*

—— Et jam nox humida cælo
Præcipitat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.

PARTITIO.

Noctem Romani poſt primum bellum Punicum, partiti fuerunt modo in horas XII. modo in IV. vigilias, quæ ſingulæ F
tres horas complecterentur. Vocabāt autē eas Veſperum, Cōticinium, ſive intempeſtatem: Gallicinīu, & Luciferū, ſic ut in ternas horas vigilias quaslibet penſitarēt. *Alex. ab Al. l. 4. c. 20.*

☞ *Vide* BUCCINA, meminitque Euangelium ſecundæ, & tertiæ vigiliæ *Luc. cap. 11.*

COMMODA, ET INCOMMODA NOCTIS.

De his *Poetæ*,

Val. Flacc. 5.

Nox hominum genus, & duros miſerata labores,
Retulerat feſſis optata ſilentia rebus.

Ovid. in arte.

Nocte latent mendæ, votoque ignoſcitur omni,
Horaque formoſam quamlibet illa facit.
Conſule de gemmis, de tincta murice lana,
Conſule de facie, corporibuſque diem.

Idem l. 1.

Nox & amor, vinumque nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat; Liber, Amorque metu.

Juvenal. Sat. 10.

Nocte igitur ingreſſus gladium, contumque timebis.
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.

CHRISTI Salvatoris pronunciatum eſt, Qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

NOX CONSILIIS APTA. G

Euſtachius ſcribit, virum Principem etiam Noctu intactum conſiliis eſſe oportere, juxta Proverb. ἐν νύκτι βουλή. In nocte conſilium, unde etiam nox Εὐφρόνη dicta à veteribus quaſi prudens, quòd tempore illo, utpote quieto, peritius res noſtras inveſtigemus.

In Bello certè non oportet nimio indulgere ſomno, quia nocte hoſtis conſilia inire ſolet, & inſidiis locum parare, unde *Virg. l. 2. Æneid.*

Invadunt urbem ſomno, vinoque ſepultam.

NESTOR vir ſummi conſilii, maximique animi, *Iliad. 10.* his verbis vigiles alloquitur.

—— Vigilate viri, atque inſiſtite curæ,
Ut facitis, ſomnumque oculis arcete nocentem.
Rebus in afflictis ſævo ne forſitan hoſti
Ludibrium, riſumque incuria noſtra pararit.

tamen hanc ſententiam apud *Platonem l. 7. de leg.* reperire eſt.

CHRISTUS in Euangelio, dum nos ad vigilantiam hortatur, dicit: Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, &c.

EPICHARMI dictum eſt: Si quid ſcitu dignum quæris, noctu meditandum. H

APOPHTHEGMATA.

SCOPELIANUS, quoniam ſomni parciſſimus, noctem exiſtimabat ſtudiis, & exercitationi mentis accommodam, ſubinde ſolitus eſt clamare: ὦ νὺξ σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μέρος θεῶν. Id eſt, ò nox, nam tu ſanè maxima ex parte conſors es ſapientiæ deorum. Habet enim hominis mens in alto ſilentio, corporis ſenſibus jam feriatis, aliquid divinitatis, ſi ſeſe intenderit ad rerum ſublimium ſpeculationem. *Eraſ. 8. apoph.*

ANTYLLUS, mediam noctem hyemis imaginem eſſe, dicebat: tunc enim ſol, uti hyeme, remotiſſimus à nobis eſt. Itaque dolores ægrotantium vehementiores meritò tunc fiunt; utpotè

utpotè cute propter frigus denſata, & intercepta tranſpira-
A tione inſenſibili. *Stob. ſer. 99.*

HIEROGLYPHICUM.

Noctem ſignificaturi veteres, *Pavonem*, ſurrecta in orbem cauda figurabant. Nam cùm Pavonem Argum interpretentur, tot luminibus inſignitum, neque aliud quippiam per Argum, quàm cœlum nocturno tempore ſi detur dicere, oculatiſſimum intelligerent: atque illi nomen à ſplendore, atque velocitate inditū profiterentur, &c. *Vide Pier. Val. l. 34. pag. 220.*

* Nubes.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

NUBES eſt craſſamentum exhalationum convolutū, vim habens aquę gignēdę. *Ariſt. l. de mūdo c. 4.* Gręcè νεφέλη. Heb. *Hanam*, & *Hab*: eſt autem *Hab*, denſitas rei alicujus præſertim nubis, à verbo *Habab*, vel *Habab*, condenſatus eſt, *Hannam* verò derivatur à verbo *hinnē*, obnubilavit, nubē obduxit. Eſt enim nubes ſicuti velum quoddam inter ſolē, & terram, ſapientiſſima Dei providentia varios ad uſus obductum.

MATERIA, ET EFFICIENS.

Materia nubium eſt vapor, Efficiens eſt Sol, ac reliqua aſtra
B vaporem calore ſuo è locis humentibus ad mediam aeris regionem evocantia, tùm frigus circumſtans, & cogens. Itaque nubes nihil eſt aliud quàm vapor condenſatus.

DUPLICES.

Diſtinguunt naturales duplices nubes, quædam enim ſunt ſicciores, & evanidæ, atque infœcundæ, quæ licèt pluviis ventis incitentur, non tamen effundunt imbres, ſed in aeris naturam faceſſunt.

Aliæ ſunt irriguo quodam humore ſcatentes, & proinde fœcundæ, & ad pluviam pariendam idoneæ, ſuntque hæ proxima pluviarum materia: nam pluvia nihil eſt aliud, quàm nubes in aquam reſoluta.

PRÆROGATIVÆ. EFFECTUS. ET EXCELLENTIÆ VARIÆ.

Effectus nubium naturales ſunt, terræ fœcunditatem, & ſeminibus, herbiſque incrementum humiditate ſua præbere, ſterilitatem abigere, ſolarium radiorum æſtum temperare.

Cęterùm alias nubium pręrogativas, & excellentias ſcriptura commemorat, dum primò dicit, Deum nubem aſſumpſiſſe tanquam inſtrumentum, in quo Moyſi apparuit. Ita enim dicit: jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te. *Exod. cap. 19.* & aliàs frequentius.

C Item ſuper tabernaculo, oraculo nempè illius, ſive propitiatorio appariturum ſe in nube promittit. *Levit. cap. 16.*

Et nubes domini incubabat per diem tabernaculo, videntibus cunctis populis Iſrael, vocatur autem illa nubes gloria Domini. *ibi. c. 40. Exod.* quia quamvis denſa eſſet, nihilominùs lucida erat, Deiq; majeſtatem quaſi velabat. Ita *S. Aug. q. 173.*

Quin ea nubes erat tam denſa, ut Moyſes tabernaculum ingredi non poſſet.

Sic nubes Populo ducatum per diem præbuit toto tempore, quo fuit in deſerto.

Etiam ædificato, & dedicato templo Salomonis majeſtas Domini in nube implevit templum. *3. Reg. 8.*

Chriſtum aſcendentem nubes ſuſcepit ab oculis aſpicientium, & inſtar ſedis, aut throni eum ad cælum deduxit, neque defuit in glorioſa ipſius transfiguratione nubes lucida.

Etiam in nube venturum ad Judicium finale, eruitur ex pleriſque Scripturæ teſtimoniis.

D Tropologicè per nubes, quas Ezechiel, & Joannes vidit in Apocalypſi, ſignificantur Eccleſiæ Doctores, qui velut imbres emittunt doctrinæ ſuæ eloquia, quibus arentia corda irrigentur. *S. Greg. lib. 10. moral.* Doctores, ſive prædicatores Eccleſiæ cum nubibus, & verba eorum cum fulgure confert: tunc enim ait, fulgura ex nubibus prodeunt, quando mira opera ex ſanctis prædicatoribus oſtenduntur: qui nubes idcircò vocari ſolent, quia & coruſcant miraculis, & verbis pluunt.

* Nuditas. Nudus.

QUANDO ILLA USURPATA. LICITA.

EXiſtentibus in ſtatu felicitatis, quem Innocentiæ vocant Theologi, primis hominibus, dicit Moyſes utrūque fuiſſe nudum, & non erubuiſſe, nulla enim tunc erat aut libido, aut erubeſcentia, quæ tandem poſt peccatum obvenere.

Hinc hauſiſſe videtur *Plato in Politico*, ſuam illam nuditatem, quàm hominibus aurei ſæculi uſitatam ſcribit.

Perperam *Iſidorus* Clarus exiſtimat, Deū ſplendore quodā primos parentes veſte circumdediſſe, quomodo legimus S. Ag- E
neti, & aliis virginibus denudatis eveniſſe: & quali obtegētur in reſurrectione Sanctorum corpora; quia cùm nullus fuerit pudor, nullus calor, aut frigus, nullæ veſtes neceſſariæ erunt.

ILLICITA.

Poſt peccatum non modo Nuditas moleſta fuit, propter qualitatum contrariarum humanum corpus infeſtantium afflictionem: ſed inſuper inverecunda, & abominabilis habita, ſaltem eorum membrorum, quæ natura tecta eſſe voluit; unde & thalamis cortinæ appenduntur, quæ nuditatem obvelent.

Statim poſt peccatum dicit ſcriptura, quòd Deus Adæ, & uxori ejus fecerit tunicas pelliceas ad nuditatem operiendam. *Gen. cap. 3.* velut in ſymbolum verecundiæ.

Reprehenditur Noe, quòd inebriatus jacuerit nudus in tabernaculo, Magis tamen Chanaam, qui cum puer eſſet 10. annorum, aut circiter, & vidiſſet avum ſuum in tabernaculo nudum, eum irriſit, & ad patrem Cham detulit, qui filium non repreſſit, ſed patrem ſuum fratribus ridendum propoſuit. Ita tradunt Hebræi, & *Theodoretus*. Laudantur autem Sem, & Japhet, quòd pallio ſuo obtexerint patrem, & illius virilia F
non viderint. *Gen. c. 9.*

Adamitæ Hæretici nudi incedebant, & cum Adamo, qui poſt peccatum nuditatem ſuam obtexit, etiam hodie non erubeſcut, ut rectè ſimiles refutans ait *Epiphanius l. 2. hæreſ. c. 52.*

NUDI DEGENTES.

☞ *Huc refer ex loco de Veſtibus, Tit. veſtimentorū uſus nullus*

☞ *Item Nudipedes, qui calceis non utuntur, vide Calceus.*

NUDARE PEDES SIGNUM AFFLICTIONIS.

David in magna calamitate fugiens Abſalonem aſcendit clivum olivarum, flens, & incedens nudis pedibus. *1. Reg. 25.* Deus volens ut Eſajas exhiberet populo calamitatem ipſis imminentem, dixit *c. 20.* Calceamenta tua tolle de pedibus tuis.

POENITENTIÆ.

☞ *Vide ex loco de Peregrinatione, Voto, Cultu Chriſtiano.*

CONTINENTIÆ.

Apud Ægyptios olim, ut refert *Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.* puellis innuptis licitum non erat induere calceos, ut ita evagandi libertas cohiberetur, cum nudo pede prodire extra ſepta nefas foret.

PROMISCUE NUDARE CORPUS. VETITUM IN BALNEIS. G

Quamvis Heliogabali Imperatoris perditiſſimi temporibus promiſcua fuerint balnea, & diverſi ſexus, ut ita corruptos mores Imperatoris populus aſſequi videretur, qui facilè ad iſtiuſmodi inverecunda propendet: Tamen diu ante illum, & deinceps Romanis legibus eadem interdicta fuerunt, ut mirum ſit apud Chriſtianos locis nonnullis, præſertim ubi thermæ ſunt, tolerari.

Extat Romuli I. Rom. Regis lex, teſte *Plutar. in vita illius*, quam in honorem muliebris ſexus ſtatuit. Qui ſe nudum à fæmina videri paſſus fuerit, criminis capitalis reus habeatur.

Reliquias hujus legis tempore Auguſti duraſſe, ex *Dione* conſtat. Cùm enim Liviæ conjugi Auguſti obvii facti eſſent quidam viri nudi, eaque de cauſa eſſent necandi, ita eos eripuit morti, quòd diceret, pudicis mulieribus hos nihil à ſtatuis differre. *lib. 58. hiſt. Roman.*

Immò parentes cū liberis, & generi cum ſoceris lavare erubuerunt, ſicut *Plutarchus* memoriæ tradidit de modeſtia Catonis Majoris. Scribit, eum filio præſente, non minùs verecundè, quàm ſi adeſſent Veſtales, ab obſcœnis dictis ſibi temperaſſe, neque unquam cum eo laviſſe: huncque morem om- H
nibus Romanis communem fuiſſe putat idem auctor. Nam generi, inquit, pudorem nudandi corporis ſervantes, communia cum ſoceris lavacra vitarunt.

Huc referri poteſt oratio Cyri, quam ante mortem ad filios habuit. Si quis, inquit, veſtrum, aut dextram meam contingere, aut oculos adhuc viventis aſpicere vultis accedito. Ubi verò ego obvolvendo me contexero, peto à vobis filii mei, ne quis deinde mortalium meum corpus intueatur, ac ne ipſi quidem vos, &c.

Refert *Dion* Hiſtoricus, Adrianum Imp. viros diſcretos à fæminis lavari voluiſſe, quam legem Alexander Severus confirmavit. Hos poſtremò Julianus imitatus eſt.

Prætereà Jura Canonica hanc turpitudinem ferre noluerunt, nam in illis Chriſtianis lavacra communia cum mulieribus habere prohibetur, quoniam hoc Ethnici reprehenderūt.

Juſtinia-

Juſtinianus autem Imp. ſtatuit, ſi vir ad balneum extraneę A mulieris accederet, eum privari debere donatione propter nuptias: mulierum autem dote, ſi cum viro alio lavaret.

Unde Ludovicus Vives, non ſine indignatione exclamat: Quid attinet morem illum barbaricum inſectari, quod apud quaſdam gentes promiſcuè viri, & fæminæ eiſdem balneis lavant? ne commemorandus is quidem eſt, ferinus potiùs, quàm humanus.

Hujus opinionis quoque fuit Poggius Florentinus, cùm deſcribit, qualis licentia ſit in thermis Badenſibus apud Helvetios, dum ſexus uterque promiſcuis lavacris utitur. Eſt autem epiſtola ipſius ad Leonardum Aretinum inter Epiſtolas Æneæ Syluii, hunc habens titulum: Poggius de Schola Epicureæ factionis, quæ regnat in Teutonia in Balneo naturali Dominorum de Baden.

Sanè Turcę adhuc promiſcui ſexus lavacra ita averſantur, ut capitale ſit viro intereſſe, vel conſpici in loco ubi fæminæ lavant. Immò apud ipſos nefas eſt, uxores eorum in publico aperta facie conſpici, vel cum viro aliquo loqui.

Hinc videmus, quàm non ſine ratione Lycurgi inſtitutum de veſtitu, & exercitiis puellarum cum adoleſcentibus, tanquam fomes libidinis reprehenſum ſit, inter quos fuit *Euri-* B *pid.* ſicut ejus elegantiſſ. verſiculi teſtantur.

—— οὐδ᾽ ἂν εἰ βούλοιτό τις.
σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
αἳ ξὺν νέοισιν ἐξέρημοῦσαι δόμους.
γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις.
δρόμους παλαίστρας τ᾽ οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ
κοινὰς ἔχουσι, κᾆτα θαυμάζειν χρεὼν
εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε.

Quæ Latinè ſic redduntur.

—— Neque ſi velit quæpiam
Caſta eſſe, queat Spartana puella,
Quæ cum juvenibus relinquentes domos
Nudis fæmoribus, & tunicis diſſolutis,
Curſus, palæſtraſque non tolerabile mihi
Communes habent, & tamen admirabile videtur.
Si non caſtas mulieres educatis?

In Fluminibus.

Nec minor probitas, & modeſtia fuit in Alphonſo Rege C Aragonum, cujus ab ore omnino verbum obſcænum excidit nullum, ut *Ant. Panormitæ* verbis utar. Nunquam interiora membrorum ejus etiam ſe abluentis quempiam vidiſſe, nunquam juraſſe, niſi per oſſa patris, & id quidem rarò, & ob cauſam.

Idipſum quoque Græcis Gratian. Valentian. & Theodoſio Impp. curæ fuiſſe, eoſque pudicitiam, & munditiem amaſſe, obſcœnam verò nuditatem pati noluiſſe, conſtat ex ipſorum legibus. Non enim ſolùmmodo flumina, propè caſtra fluentia, ab omnibus ſordibus pura eſſe voluiſſe, ſed etiam prohibuiſſe, nè aliquis nudatus publicos oculos inceſtet. Ideòque procul à cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluviorum hoc ipſum fieri mandaſſe.

Corporis Ablutione.

Tam in vita, quàm poſt mortem.

Mos erat olim, ut corpora mortuorum lavarentur, & ita obvoluta ſepelirentur. Id quòd de ſe Socrates fieri non vult in Phædone Platonis, & anticipat lavacrum vivus.

Ex Annalibus Imperatorum diſcimus, laudatiſſ. Imp. Ma- D ximilianum Frederici filium, & ipſum vetuiſſe corpus ſuum, ubi mortem obiiſſet, nudum aſpici, ſine verecundiæ honeſtiſſ. ſenſu, ſive aliam ſanè ob cauſam.

Lucta. Theatro.

Ob eandem cauſam etiam Plato ab *Euſebio*, aliiſque Eccleſiaſticis Scriptoribus reprehenditur, quòd ſecutus conſtitutiones Lycurgi, *in lib. ſuis de Repub. & legibus*, juſſerit, mulieres, non ſolùm juvenes, ſed etiam anus in gymnaſiis nudas cum viris luctari, adoleſcentulas nudas, & equis certare, & in ſolennitatibus eas quoque nudas cum nudis juvenibus tripudiare.

Hanc ob rem ita compellat Sathanam *Ignatius in Epiſt. ad Philippenſes*. Quid verò virgineam improbas naturam, & membra appellas obſcæna: qui olim hæc membra in pompas oſtentabas, mares nudari jubens in conſpectu fæminarum, itemque fæminas in cupiditatem libidinoſam marium; nunc contra hæc ipſa à te judicantur obſcæna, & honeſtatem ſimulas, qui ſpiritus es fornicationis, &c.

Idipſum reprehendit *Lactantius*, cùm de Floralibus ludis dicit. Celebrantur ergo iſti ludi cum omni laſcivia, convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiã, E quibus obſcænitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices, quæ tunc minorum officio funguntur, & in conſpectu populi uſque ad ſacietatem impudicorum luminum pudendis motibus detinentur.

Neque etiam tam projecta fuit impudicitia meretricum Romanorum, quæ in honorem Floræ deæ ludos nudæ celebrare ſolebant, ut non graves viros, memores turpitudinis propriæ venerarentur, & honore afficerent: Cato enim, cùm in theatrum, in quo ejuſmodi ludi à nudis ſcortis celebrarentur, ingreſſus fuiſſet, ac mulieres tanti viri gravitate, & autoritate permotæ, nudare ſe noluiſſent, monitus is fuit à Favonio, ut diſcederet. Hinc illi natum hoc Epigramma:

Noſſe iocoſæ dulce cum ſacrum Floræ:
Feſtoſque luſus, & licentiam vulgi:
Cur in theatrum, Cato ſevere, veniſti?
An ideo tantùm veneras, ut exires?

Idem verò theatrum illud, idem & proſtibulum Iſidorus putavit, eò quòd poſt ludos exactos, meretrices ibi proſternerentur, ut *Tertullianus* non abſque ratione, eas tanquam publicæ libidinis hoſtias, in ſcena proferri dicat. F

Sabbathis.

Inter alios ritus ſuperſtitioſos, quos in celebrandis Sabbathis ſuis Judæi adhibuerunt, etiam is perhibetur, quod nudipedes obirent ſua miniſteria ad luxuriam comparata. Hoc enim illis etiam exprobrarunt Poetæ, unde & eos Bacchum colere arbitrati ſunt, deducentes Sabbathum eorum à Græco Σαβάζειν, quòd debacchari, & tripudiare ſignificat, quo factum, ut apud Martialem, & alios Judæi dicantur Sabbatharii, & Bacchicolæ. Certè *Juven. Sat. 6.*

Obſervent alii feſta, pede Sabbatha reges.

ubi commentatores ad verbum (pede) addunt nudo.

Tertullianus, & Hieronymus vocant Nudipedalia, id quod etiam Joſephi hiſtoria Berenice Regina, *lib. 1. de bell. Jud.* teſtatur.

IN MINISTERIIS. CUM PUBLICIS. Tum Privatis.

Britannis mos inolevit, conjuges, & nurus nudas, & ſucco herbarum delibutas, ad templa ducere, & ita ſupplicare, ac captivorum ſanguine Diis litare.

Rectè itaque *D. Auguſt.* ita ratiocinatur, ſi nihil in libidine illa ineſſet pudendum, non texiſſent ſua genitalia primi G homines poſt peccatum. Nam genitalia potiùs, quàm ora, per quæ comederant, texerunt, & occultarunt: atque ea ipſa non manu, ne ea vel ipſi attingerent, tanta nimirum turpitudo in iis poſt peccatum inhæſit, &c.

Horreſco legens impudicitiam, lubricantem, & libidinoſam cæcitatem veterum, in primis autem de Venere Gazæa. In trivio enim, vel quadrivio ſtabat ſtatua marmorea, cujus effigies erat Veneris, uti habebatur, inſtar nudæ fæminæ, quæ palàm oſtendebat verenda ſua. Statuam hanc in honore habebant omnes cives, Maximè verò mulieres, lucernas accendentes, & thure ſuffientes. Dicebant etiam eam in ſomnis reſpondere iis, quæ volebant inire matrimonium. Decipiebantur autem: ſæpè verò juſſis à dæmone contrahere matrimonia peſſimè illis cedebat. Plerumque etiam enim rixæ, & divortia inde oriebantur.

Tali forma alibi quoque Venerem cultam eſſe, multi Hiſtorici teſtantur.

Sed tranſeamus ad eos, qui tanquam Monarchæ totius or- H bis obſervabantur. Nota enim eſt flagitioſa vita, & mores turpiſſimi Tiberii, Heliogabali, & aliorum Imperatorum obſcœnorum, qui nudas puellas, ſibi cœnantibus, miniſtrare, atque etiam currum trahi voluerunt, & ejuſmodi obſcœnis, & libidinoſis actionibus, iiſque publicis, admodum delectati ſunt.

Unde non immerito *Euripides*, mulieres, & virgines Laconicas (quæ lege Lycurgi, nudæ in publicis ſpectaculis ſe exhibebant, & exercebant) appellavit ἀνδρομανεῖς, quòd impudica corporis nuditate multos in furorem libidinis adigerent.

De Tamerlane refertur, quòd inter alia ludibria, quibus Bajazeti captivo inſultabat, uxorem ejus crepidulis tantùm calceatam, ſagòque militari indutam denudato toto corpore ſummo cum dedecore menſæ ſuæ miniſtrare coegerit. Quæ ignominioſa obſcænitas Bajazetem nimis zelotypum in fu- A rorem egit, ut capite ad caveam ferream, qua includebatur, alliſo, mortem ſibi violentam acceleraret.

* NUDOS OPERIRE, OPUS EST MISERICORDIÆ. Exempla S. Scripturæ.

Si deſpexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearũ calefactus eſt. *Iob. 31.*

Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus ſuis: Eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, & mortuis, atque occiſis ſepulturam ſollicitus exhibebat. *Tobiæ.*

Historica.

Quodam tempore, cùm D. Martinus Turonenſis Archiepiſcopus jam nihil præter arma, & ſimplicem militiæ veſtem haberet, media hyeme, quæ ſolito aſperior inhorruerat (adeò ut pleroſque vis algoris exſtingueret) obvium habuit in via Ambianenſium civitates pauperem nudum. Qui cùm prætereuntes ut ſui miſererentur, oraret, omneſque miſerum præterirent, intellexit vir Deo plenus ſibi illum, aliis miſericordiam B non præſtantibus, reſervari. Quid tamen ageret? Nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat. Nam reliqua in opus ſimile conſumpſerat. Arrepto itaque ferro, quo erat accinctus, mediam dividit, partemque ejus pauperi tribuit, reliqua rurſus induitur. Intereà de circumſtantibus ridere nonnulli, quia deformis eſſet, & truncatus habitu videretur: multi tamen, quibus erat mens ſanior, altiùs gemere, qui ſimile nihil feciſſent, cùm utique plùs habentes, veſtire pauperem ſine ſua nuditate potuiſſent. Nocte igitur inſecuta, cùm ſe ſopori dediſſet, vidit Chriſtum chlamydis ſuæ, qua pauperem texerat, parte veſtitum. Intueri diligentiſſimè Dominum, veſtemque quam dederat, jubetur agnoſcere. Mox ad Angelorum circumſtantium multitudinem audivit Jeſum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit. Verè memor Dominus dictorum ſuorum, quę anteà prędixerat: Quamdiù feciſtis hæc uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis: ſe in paupere profeſſus eſt veſtitum, & ad confirmandum tam boni operis teſtimonium in eodem ſe habitu, quem pauper acceperat, eſt dignatus oſtendere. *Severus Sulpitius l. de vita S. Martini, cap. 2.* Petr. Caniſ. *de eleemoſyna, cap. 12. n. 8.*

C Conſtructa à S. Martiano Presbytero in honorem S. Anaſtaſiæ æde ſacra, omnibus convenientibus, novi templi, ut par erat, ipſo die quo Martyr certamen conſummavit, encænia fuerunt celebrata: vocabant autem ad encænia & fideles Imperatores, & ſacrum Senatum, & omnem, ut ſemel dicam, civitatem. Oportebat autem eum, qui latebat, Martinum eo die videri, qualis eſſet moribus, qualis virtute, & quantum ſe ultra mandata extendebat. Nam cùm tota concurreret civitas, & pauperes unà cum ea quodam pacto attraherentur: pauper quidam accedens ad hunc virum egregium (ii enim exquirunt & diſcunt benignas, & clementes animas, non ſecùs atque hi qui laborant, medicos) accedens ergo reſpexit ad ejus dexteram, & petiit, ut acciperet aliquod medicamentum famis. Ille autem (tunc enim nihil geſtabat in ſinu, ſed re vera habebat intra animæ ſinum benignitatem multam, & clementiam) cùm remotus fuiſſet ab omnibus, & locum aſpexiſſet valdè latentem: nullo autem alio, niſi unica tegeretur tunica, quòd quidem fuit ei tota vita familiare, ut duabus non vteretur tunicis: cùm ſic ſe habere vir divinus, etſi facile erat, excuſando D egeſtatem, repellere ſupplicationem: nam quòd nihil portabat, teſtes habebat omnia intuentes oculos: Ille, perinde, ac ſi non daret, fieri non poſſet, ut non Deo afferret moleſtiam, cum ſe ea ipſa, quæ ſola intus erat, veſte exuiſſet, dat egenti prompto, & alacri animo: & de cætero habebat ſolam veſtem Sacerdotalem, & penulam, quæ corpus contegebat; quàm etiam undiquaque contrahens, cupiebat, quantum fieri poterat, latere, & id quòd factum fuerat, omnium celare oculos. *Baron. Annal. Eccl. tom. 6. ad an. 459. ex Sur. tom. 1. Janu. 10.*

Epiphan. Diaconus, Iſauria provincia exortus, in vicina factum terra Lycaoniæ narrare ſolet miraculum. Ait enim, quòd in ea quidam Martyrius nomine, vitæ valdè venerabilis Monachus fuit, qui ex ſuo monaſterio viſitationis gratia ad aliud monaſterium tendebat, cui ſpiritalis pater præerat. Pergens itaque leproſum quendam, quem denſis vulneribus Elephantinus morbus per membra fœdaverat, invenit in via, volentem ad ſuum hoſpitium redire, ſed præ laſſitudine non va- E lentem. Ipſo verò itinere ſe habere hoſpitium perhibebat, quò idem Martyrius Monachus ire feſtinabat. Vir autem Dei ejuſdem leproſi laſſitudinis miſertus, pallium, quo veſtiebatur, in terram prorſus projecit, & expandit, ac deſuper leproſum poſuit, eumque ſuo pallio undique conſtrictum ſuper humerum levavit, ſecumque revertens detulit: cùmque jam monaſterii foribus propinquaret, ſpiritalis pater ejuſdem monaſterii magnis vocibus clamare cœpit: Currite, januas monaſterii citiùs aperire, quia frater Martyrius venit Dominum portans. Statim verò ut Martyrius ad monaſterii portam pervenit, is, qui leproſus eſſe putabatur, de collo ejus exiliens, & in ea ſpecie apparens, qua recognoſci ab hominibus ſolet Redemptor humani generis, Deus & homo Chriſtus Jeſus, ad cœlum Martyrio aſpiciente rediit, eique aſcendens dixit Martyrio, tu non me erubuiſti ſuper terram, ego te non erubeſcam ſuper cælos. Qui ſanctus vir mox ut eſt monaſterium ingreſſus, ei pater monaſterii dixit: Frater Martyri, ubi eſt quem portabas? Cui ille reſpondens dixit: Ego ſi ſciviſſem quis eſſet, pedes illius tenuiſſem. Tunc Martyrius narrabat, quia cùm eum portaſſet, pondus ejus minimè ſenſiſſet. Nec mirum: Quomodò enim pondus ſentire poterat, qui portantem portabat? *Ex Greg. Magno homil. 39. in Euang.* F

Facta eſt aliquando ſuper Franciſum Aſſiſinatem manus Domini, & immutatio dexteræ excelſi, diutinis languoribus ipſius corpus affligens, ut coaptaret animam ad Sancti Spiritus unctionem. Cùmque reſumptis corporeis viribus, ſibi veſtimenta decentia more ſolito præparaſſet, obvium habuit militem quendam, generoſum quidem, ſed pauperem, & malè veſtitum, cujus pauperiem pio miſeratus affectu, illum protinùs, ſe exuto, veſtivit, ut ſcilicet in uno geminum impleret pietatis officium, quo & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis verecundiam relevaret. Nocte verò ſequenti cùm ſe ſopori dediſſet, palatium ſpecioſum, & magnum, cum militaribus armis crucis Chriſti ſignaculo inſignitis, clementia ſibi divina monſtravit, ut miſericordiam pro ſummi Regis amore pauperi exhibitam militi, præoſtenderet incomparabili compenſandam eſſe mercede. Unde & cùm quæreret: cujus eſſent illa omnia, ſua fore, militumque ſuorum, ſuperna fuit aſſertione reſponſum. Evigilans itaque manè, cùm nondum haberet exercitatum animum ad divina perſcrutanda myſteria, neſciretque per viſibilium ſpeciẽ tranſire ad contuendam inviſibilium verita- G tem, magnæ fore proſperitatis indicium exiſtimabat inſolitam viſionem. Diſpoſuit itaque, diſpoſitionis divinæ adhuc ignarus, in Apuliam ad quendam liberalem Comitem ſe conferre, in ipſius ſperans obſequio decus adipiſci militiæ, ut oſtẽſa ſibi viſio prætendebat. Cùmque pauló pòſt iter aggreſſus iviſſet uſque ad proximam civitatem, audivit in nocte Dominum familiari ſibi allocutione dicentem: Franciſce, quis poteſt meliùs facere tibi? Dominus, an ſervus? dives, an pauper? Cùmque Franciſcus reſpondiſſet, quod tam Dominus, quàm dives, facere melius poteſt, intulit ſtatim: Cur ergo relinquis pro ſervo Dominum, & pro paupere homine divitem Deum? Et Franciſcus: Quid me vis facere, Domine? & Dominus ad eum: Revertere in terram tuam: quia viſio, quam vidiſti, ſpiritalem præfigurat effectum, non humana, ſed divina in te diſpoſitione complendum. *D. Bonaventura in vita eius, capite 1.*

Huc etiam referri poteſt illud, quod narrat *Thomas à Cantiprato, l. 26. Apum. c. 25. par. 14.* Domina, inquit, Aleidis Carnotenſium, ac Bleſenſium Comitiſſa mihi de avo ſuo retulit, dicens: Nobiliſſimus, ac potentiſſimus in Baronibus Galliæ, Comes Carnotenſium, ac Bleſenſium pariter, Theobaldus, H liberaliſſimus omnium ſuo tempore extitit, in donando. Iſte hyeme media, quæ tunc ſolito magis inhorruit, per viam cùm multitudine tranſiens obvium habuit pauperem nudum. Quo clamante, reſpondit Comes, Quid petis? Cui pauper, Da, inquit, cappam, quàm habes indutam. Nec mora, Comes extractam cappam pauperi dedit dicens: Si quid vis ampliùs, petas: & pauper: Da mihi ſupertunicale, quod habes, quo ſtatim habito petivit tunicam; quam ut Comes dedit, remanſit in lineis. Cui pauper, Vides (inquit) ò Comes, quò caput raſum, habeam, & nudum, da igitur & pileum. Tunc Comes paululùm erubeſcens, calvus enim erat, Nunc inquit, chariſſime, nimis inſiſtis, quia hoc ipſe carere non poſſum. Quo dicto, relictis veſtibus, pauper evanuit. Comes verò de equo cadens planctum lamentabilem fecit, & omni tempore poſteà tale quid cavens, omni petenti ſe tribuit.

Maxima

Maxima ſanè commiſeratione erga pauperes, atque incom-
A modis membrorum laborantes erat Eliſabetha Regis Hungariæ filia, ut ei concinnè admodum ſancti Job verba convenirent: Ab infantia mecum crevit miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum. Huic virtuti, ne ſterilis eſſet, adjuncta erat munificentia: ad quàm cùm ſua ſponte incitaretur, ubi & Principis favor acceſſit, properanti (ut dici ſolet) calcaria ſunt addita. Venerunt ſiquidem quodam tempore ad Ludovicum Hungarorum Regem dictæ Eliſabethæ maritum comites aliquot, procerumque non pauci. Jamque convivii tempus advenerat, cùm, reſidentibus cunctis, aberat Eliſabetha. It, juſſu Principis, ſtatorum unus, accitum illam. Cui cùm obviàm factæ nuntiaſſet, cunctos ad ipſius adventum pendere convivas: illa maturius incedens, ubi cœpit gradus, qui ad triclinium pertinebant, aſcendere, ſubitò mendicus quidam importunis clamoribus eleemoſynam depoſcere auditur. Quem illa deſuper videns (neque enim anteà ſub gradibus jacentem animadverterat) pauliſper expectare monet, pollicita, quandoquidem in præſentiarum nihil ſibi erogandum ſuppeteret, miſſuram ſe brevi quod petebat. Ille nihilo tranquillior factus, abeuntem pertinaciſſimis inclamat vocibus, & ne miſerum ſe ſine dono præteriret, inſtan-
B tiſſimè precatur. Figit gradum Eliſabetha, eique pallium non contemnendi pretii, quo veſtita erat, tranſmittit. Quòd ille ſumma cum alacritate ſuſcipiens, arce ſtatim exceſſit. Id cùm reverſus ſtator non ſine indignatione propalam retuliſſet, ſubriſit princeps: deſertoque mox accubitu, progreſſus occurrenti, ait: Quid, mea ſoror, tamdiù moraris? Ad quem illa, En, inquit, mi frater, appropero: Talibus enim ſe nominibus viciſſim appellabant. Tum princeps: Ubi loci, ait pallium reliquiſti? Illa porrecto indice: En, inquit, pallium noſtrum de pertica propendens. Videt ille, accedit, attrectat, evolvit, illudque ipſum eſſe, quòd pauper dudum eleemoſynæ loco donatum audierat, cognoſcit. Illicò ſtupore vehementi perfuſus, non parum addubitat, tantæne rei miraculum, an egregiam uxoris fidem in cœlum ferat. *Iacob. Spirenſis in vita eius*, c.8. apud Sur. *tom 6. Novemb. 19.*

Orante quandoque ſancta Virgine Catharina Senenſi in Eccleſia Dominicanorum Senenſium, quidam mendicus ab ea petiit opem. Illa cùm nihil haberet apud ſe, rogavit, ut exſpectaret, donec eſſet reverſa domum. At illo dicente, ſe tam diù exſpectare non poſſe, ſancta virgo ejus non ferens afflictionem, anxiè cogitare cœpit, quidnam ei dare poſſet. Mox ſuccurrit ei, habere apud ſe crucem parvam argenteam. Eam
C igitur pauperi hilariter dedit, iſque ea accepta lætus abſceſſit. Nocte proxima Chriſtus virgini oranti apparuit, eamque crucem ei oſtendit, multis gemmis undique ornatam, promiſitque ei, ſe in die judicii eam coram tota Angelorum, & hominum frequentia oſtenſurum. *Raymond. à Capua S. Antonin.* 3. *p. hiſt. tit.* 23. *c.* 4. & Surius *tom* 2. 29. *April.*

Alio tempore, eadem ſacra virgine Catharina ex eodem templo domum redire volenti, Chriſtus occurrit in forma juvenis pauperis, ac peregrini, triginta plùs minùs annorum, petivitque ab ea veſtem. Illa rediens ad ſacellum, unde deſcenderat, tunicam non manicatam, quàm ſub extima veſte propter frigus habebat, ſibi cautè detraxit, pauperique tribuit, neſciens eſſe Chriſtum. At ille etiam lineum veſtimentum petiit. Tùm illa jubet eum ſe ſequi ad ædes ſuas, ubi ei ſubuculam, & ſubligaculum dedit. Verùm non deſtitit ille plura mendicare, ut probaret ejus animum. Quid, inquit, faciam hac tunica, quæ manicis caret? Quæſo etiam manicas mihi largiaris. Illa perluſtrat domum, & ecce videt à pertica ſuſpenſam novam ancillæ tunicam: ab eaque manicas auferens dat pauperi. Rurſus ille etiam ſocium in domo hoſpitali ſe habere dicit, valdè indigentem veſtibus. Tùm verò ſancta virgo nihil prorſus ſibi ſupereſſe videns, quòd daret,
D præter tunicam, qua erat induta, quàm non ſinebat virgineus pudor, & honeſtas, ut ſibi detraheret, ne nuda cogeretur cùm multorum offendiculo incedere, dixit pauperi: Revera chariſſime, ſi poſſem ullo pacto, libenter aliquid præſtarem ſocio tuo. Ille verò ſubridens: Video, inquit, promptum animum tuum: ſed jam bene vale. Etſi autem ſancta virgo, illo recedente, ex quibuſdam ſignis conjecit Dominum Jeſum eſſe, tamen quia tanta gratia ſe indigniſſimam putabat, ad conſueta ſe recepit exercitia ſua. Sed nocte ſequenti Dominus ei oranti manifeſtè ſe viſendum præbuit, in illius pauperis effigie, in manu ferens tunicam, quàm ipſi virgo dederat, margaritis jam, & coruſcantibus gemmis conſpicuam, atque ſe illi daturum veſtem inviſibilem, quæ ab ea arceret omne noxium utriuſque hominis frigus. Quòd certè etiam reipſa præſtitit, adeò ut ex eo tempore iiſdem hyeme, quibus æſtate, contenta fuerit veſtibus, immò nec hyemis intemperiem un- E
quam ſenſerit. Simul autem etiam Dominus, & cùm crucem argenteam, & cùm hanc tunicam illi oſtenderet, talia ei promiſſa fecit, undè certò illi conſtare poſſet, ipſam in cælis excellenti gloria ſine fine perfruituram. *Idem ibidem.*

* Numerus.

Definitio, & Etymologia.

NUMERUS Græcè ἀριθμὸς, eſt collectio unitatum, ſive, eſt multitudo ex unitatibus aggregata, ſive, eſt multitudo menſurabilis uno. Unde unitatem dicunt non eſſe numerum, ſed principium numeri. Dicitur autem propriè numerus, de iis rebus, quæ numerantur, aut numerari poſſunt. Qamvis etiam *Cicero* de iis hoc nomen uſurpet, quæ menſurantur, *lib. 3. officior.* Alii pro Harmonia, quæ numeris etiam conſtat, accipiunt hanc vocem.

Divisio.

Numerus alius finitus eſt, alius infinitus, ſive menſurabilis, & non menſurabilis, quamvis reipſa nullus detur numerus F
infinitus.

Secundò, numerus alius eſt cardinalis, alius ordinalis. Cardinales ſunt unus, duo, tria, &c. Ordinalis, primus, ſecundus, tertius, &c.

Tertiò numerus alius eſt tranſcendens, ſive tranſcendentalis: Alius prædicamentalis. Hunc vocant eum, qui reperitur in rebus corporeis ſingularibus, Tranſcendentalem verò, qui etiam reperitur in ſpiritualibus: & componitur ex unitatibus earum rerum, quæ non ſunt corporeæ, & ſingulares. Sic dicimus tres Angelos, tres perſonas divinas, &c.

Quartò, diſtinguunt numerum, ut alius ſit numerus formalis, qui eſt ipſamet multitudo, à qua res numeratæ dicuntur multæ, tanquam à forma alius numerus numerans, eſtque ipſa anima: alius numerus numeratus, eſtque ſubjectum numeri, ſeu ipſæ res numeratæ. Denique numerus, alius perfectus, qui conſtat principio, medio, & fine: alius imperfectus. Item alius par, alius impar.

Origo. Et Notæ Variæ.

Numeri à punctis primam originem traxere: ſed quia illa exilia erant, produci tandem cœperunt ad inſtar lineolæ. Cũ- G
que admodũ moleſta fuiſſet numeri majoris ſupputatio multiplicando tot lineolas, tandem ad certas notas deventum fuit, quibus numeri vis ſignificaretur v. G. ut deſignarent quinque, ne quinas lineas ſcriberent, una obliqua à tergo ducta in hunc modum, v. quinque ſignificarunt. Denarium verò omiſſis decem lineis, duplicato M, indicarent, & hoc modo M. pro mille. L, pro quinquaginta, D. pro quingentis uſurpare cœperunt. Quòd ſi numero alicui lineam tranſverſam ſuperinducerent, tot valebat millenarios, quot prius numerabat unitates, v. G ī mille, ṽ quinque millia deſignabat? Quin & hodie uſus obtinet, quòd unitas duos à tergo apoſtrophos habens, ad hunc modum IↃↃ, quinque millia continet: ſi totidem à fronte, decem millia. Si unitatem inter duos apoſtrophos, mille: ſi unitatem claudat à dextra apoſtrophæ IↃ, quinquaginta denotantur.

Notæ apud Hebræos.

Hebræi litteris Alphabeti utuntur ad notas numerorum indicandas, quòd quidem de numeris ſimplicibus venit intelli-
gendum. Nam alios ex iſtis componunt. Siquidem יא ſigni- H
ficat, XI, יב XII, & ita de aliis. Niſi quòd pro יה ſcribunt, טו ſuperſtitione quadam adducti, quia יה eſt unum ex nominibus Dei. Sic etiam poſt ת, quæ litera efficit 400. non ſemper ponunt litteras illas finales, ſed compoſitos numeros.

900.	800.	700.	600.	500.
: תתק	תת	תש	תר	תק

Apud Græcos.

Notis numerorum utuntur, Græci literis Alphabeticis, idque tribus modis. Primus ſingulis elementis ſecundùm alphabeti ſeriem loci ſui numerum ſignificantibus: nam quorum in ordine alphabeti locum quæque littera ſortita eſt, ejuſdem numerum repræſentat, ut α primùm β ſecundùm, & ita deinceps, uſque ω quòd vigeſimi quarti ſymbolum habet.

Secundò,

Secundò, toto alphabeto in tres claſſes diviſo quarum pri-
A ma eſt unitatum α prima unitate uſque ι decimam unitatem porrecta, hac tamen nota ς pro ſenario uſurpata. Secunda eſt denariorum à littera ι uſque ρ procedens, interjecto itidem hoc ſigno ϛ pro nonagenario. Tertia eſt centenorum, à littera ρ uſque ad finem ſua ſerie protenſa, ſed pari modo hac nota Π pro nonageſimo addita. Singulis his litteris pariter, & notis, ſi virgula toni gravis nota ſubſcribatur, hoc modò ͵α prima quidem claſſis millenariorum monadas, ſecundas, ſecunda millenariorum decadas, tertia millenariorum centurias ſignificat.

Tertiò, ſex duntaxat litteris alphabeti in deſignandis numeris utuntur IΠΔHXM, quarum I unitatem ſignificat. Π, πέντε, id eſt, quinque. Δ δέκα, id eſt, decem. H, ἑκατόν, id eſt, centum. X, χίλια, id eſt, Mille. M, μύρια, id eſt, decies mille ſignificat. Reliquæ ſunt capitales litteræ numerorum ſuorum, quos eoſdem per ſe ſignificant. Et hæ quidem omnes præter Π uſque ad quaternarium numerum, ſive per ſe, ſive aliis adjunctæ, multiplicantur, ut 1.2.3.4. ΔΔΔ. ΔΔΔ. ΔΔΔΔ. id eſt, 10. 20. 30. 40. H. HH. HHH. HHHH. id eſt, 100.200.300.400. X. XX. XXX. XXXX. id eſt, 1000. 2000. 3000. 4000. M. MM. MMM. MMMM, id eſt, 10000. 20000. 30000. 40000.

B Decadum verò, centuriam, & chiliadum, ac myriadum quinarios, hæc elementa ΔHXM, litteræ Π incluſa ſignificãt, ut Δ incluſum Π. efficit 50. H. incluſum Π 500. X. incluſum Π 5000. M incluſum Π. 50000. Horum numerorum adjunctione reliqui omnes numeri gignuntur, in quorum compoſitione ſemper major minori præponendus eſt.

Herodiani de iiſdem Tractatus.

Unitatis numerum ſignificat unum jota: binàrium, duo ιι, & ita uſque ad quatuor. Quinarium enim (τὰ πέντε, ſignificat littera π: ſimiliterque ſenarium notat hoc ipſum π, adjecto uno ι, veluti ad quinque priora addito uno: & ita deinceps uſque ad novem. Nam denarius numerus (τὰ δέκα) ſignificatur littera δ: vicenarius verò, duobus, δδ, eodemque modo uſque ad quadragenarium. Nam quinquagenarius (τὰ πεντήκοντα) notatur littera π, habente δ in medio ſuo ventre, hoc modo. [Δ] Sexagenarius autem, hac ipſa nota itidem ut in præcedentibus appoſitum habente ſuum δ. Et ita progreſſio fit uſque ad nonagenarium. Centenarius enim
C (τὰ ἑκατὸν) ſignificatur littera η: ducenarius, duplici ηη: & ita uſque ad quinquagenarium: ejus quippe (τῶν πεντακοσίων) nota eſt littera π, in ſui medio habens litteram η: ſic nimirum; [H] Sexcenarius verò conſimiliter notatur eadem hac nota appoſita littera η. Et uſque ad nonagenarium eodem pacto proceditur. Etenim millenarii (τῶν χιλίων) nota eſt littera χ: at duo millia ſignificantur duobus χχ. Et ſic uſque ad quatuor millia progredimur, nam π rurſum uti ſuprà in ſeſe medium continens χ. quinque millia (τὰ πεντακιχίλια) denotat: Hoc modo [X] Idem verò, & ſex millia ſignificat conſimiliter uti in ſuperioribus appoſita ei litera χ: eademque ratione uſque ad novem millia. Decem autem millia τὰ μύρια nota littera μ. Porrò notæ illæ, quæ apponuntur ſupradictis, cùm augendus eſt numerus, ad dextrum apponuntur latus: cùm minuendus ad ſiniſtrum. Nam appoſitio numeri ea parte facta, ſignificat oportere hunc minorem numerum ab illo majore demere. Verùm ſubiicimus illas ipſas numerorum figuras ſerie, & ordine ſuo, ab unitate exorſus, ſingulis ipſarum appoſita communis numeri nota: ut ex eo modo cognoſci melius, & intelligi poſ-
D ſint, quæ jam diximus. Faciendum itaque, ut præſcriptum eſt: appoſitarum namque litterarum unaquæque numeri multitudinem ſignificat. Præmittendus autem ſemper major minori, appoſitis ſerie ſua tot aliis numeris quot augere illum volumus.

I, α, ἕν.	1
II, β, δύω.	2
III, γ', τρία.	3
IIII, δ', τέσσαρα.	4
Γ, ε', πέντε.	5
ΓI, ς', ἕξ.	6
ΓII, ζ, ἑπτα.	7
ΓIII, η', ὀκτώ.	8
ΓIIII, θ', ἐννέα.	9
Δ, ι', δέκα	10
ΔI, ια', ἕνδεκα.	11
ΔII, β', δώδεκα.	12 E
ΔIII, ιγ', τρισκαίδεκα.	13
ΔIIII, ιδ', τεσσαρεσκαίδεκα.	14
ΔΓ, ιε', πεντεκαίδεκα.	15
ΔΓI, ις', ἑκκαίδεκα.	16
ΔΓII, ιζ', ἑπτακαίδεκα.	17
ΔΓIII, ιη', ὀκτωκαίδεκα.	18
ΔΓIIII, ιθ, ἐννεακαίδεκα.	19
ΔΔ, κ, εἴκοσι.	20
ΔΔI, κα' εἰκόσιεν.	21
ΔΔII, κβ', εἰκοσιδύω.	22
ΔΔIII, κγ', εἰκοσιτρία.	23
ΔΔIIII, κδ', εἰκοσιτέσσαρα.	24
ΔΔΓ, κε', εἰκοσιπέντε.	25
ΔΔΓI, κς', εἰκοσιέξ.	26
ΔΔΓII, κζ, εἰκοσιεπτά.	27
ΔΔΓIII, κη', εἰκοσιοκτώ.	28
ΔΔΓIII, κθ, εἰκοσιεννέα.	29
ΔΔΔ, λ' τριάκοντα.	30
ΔΔΔI, λα'.	31
ΔΔΔII, λβ'.	32
ΔΔΔIII, λγ'.	33
ΔΔΔIIII, λδ'.	34
ΔΔΔΓ, λε'.	35
ΔΔΔΓI, λς.	36 F
ΔΔΔΓII, λζ.	37
ΔΔΔΓIII, λη'.	38
ΔΔΔΓIIII, λθ.	39
ΔΔΔΔ, μ'.	40
ΔΔΔΔI, μα'.	41
ΔΔΔΔII, μβ'.	42
ΔΔΔΔIII, μγ'.	43
ΔΔΔΔIIII, μδ'.	44
ΔΔΔΔΓ, με'.	45
ΔΔΔΔΓI, μς'.	46
ΔΔΔΔΓII, μζ'.	47
ΔΔΔΔΓIII, μη'.	48
ΔΔΔΔΓIIII, μθ'.	49
[Δ] ν', πεντήκοντα.	50
[Δ] I, να'.	51
[Δ] II, νβ'.	52
[Δ] III, νγ'.	53
[Δ] IIII, νδ'.	54
[Δ] Γ, νε'.	55
[Δ] ΓI, νς'.	56 G
[Δ] ΓII, νζ'.	57
[Δ] ΓIII, νη'.	58
[Δ] ΓIIII, νθ'.	59
[Δ] Δ, ξ', ἑξήκοντα.	60
[Δ] ΔI, ξα'.	61
[Δ] ΔII, ζβ'.	62
[Δ] ΔIII, ξγ'.	63
[Δ] ΔIIII, ξδ'.	64
[Δ] ΔΓ, ξε'.	65
[Δ] ΔΓI, ξς'.	66
[Δ] ΔΓII, ξζ.	67
[Δ] ΔΓIII, ξη'.	68
[Δ] ΔΓIIII, ξθ'.	69
[Δ] ΔΔ, ο, ἑβδομήκοντα.	70
[Δ] ΔΔI, οα'.	71
[Δ] ΔΔII, οβ'.	72
[Δ] ΔΔIII, ογ'.	73
[Δ] ΔΔΔIIII, σδ'.	74
[Δ] ΔΔΓ, οε'.	75 H
[Δ] ΔΔΓI, ος'.	76
[Δ] ΔΔΓII, οζ.	77
[Δ] ΔΔΓIII, οη'.	78
[Δ] ΔΔΓIIII, οθ'.	79
[Δ] ΔΔΔ, π, ὀγδοήκοντα.	80
[Δ] ΔΔΔI, πα.	81
[Δ] ΔΔΔII, πβ.	82
[Δ] ΔΔΔIII, πγ'.	83
[Δ] ΔΔΔIIII, πδ'.	84
[Δ] ΔΔΔΓ, πε'.	85
[Δ] ΔΔΔΓI, πς'	86
[Δ] ΔΔΔΓII, πζ'.	87
[Δ] ΔΔΔΓIII, πη'.	88
[Δ] ΔΔΔΓIIII, πθ'.	89
[Δ] ΔΔΔΔ, ϛ', ἐννενήκοντα.	90
[Δ] ΔΔΔΔI, ϛα'.	91

ΔΔΔΔII,

A [Δ] ΔΔΔΔII,	ϟβʹ.	92
[Δ] ΔΔΔΔIII,	ϟγʹ.	93
[Δ] ΔΔΔΔIIII,	ϟδʹ.	94
[Δ] ΔΔΔΔΓ,	ϟεʹ.	95
[Δ] ΔΔΔΔΓI,	ϟϛ.	96
[Δ] ΔΔΔΔΓII,	ϟζʹ.	97
[Δ] ΔΔΔΔΓIII,	ϟηʹ.	98
[Δ] ΔΔΔΔΓIIII,	ϟθʹ.	99
H,	ρ ἑκατὸν.	100
HH.	σʹ, διακόσια.	200
HHH,	τʹ, τριακόσια.	300
HHHH,	υʹ, τετρακόσια.	400
[H]	φʹ, πεντακόσια.	500
[H] H,	χʹ, ἑξακόσια.	600
[H] KH,	ψʹ, ἑπτακόσια.	700
[H] HHH,	ωʹ, ὀκτακόσια.	800
[H] HHHH,	ϡʹ, ἐννακόσια.	900
X,	α, χίλια.	1000
B XX,	β, διχίλια.	2000
XXX,	γ, τριχίλια.	3000
XXXX,	δ, τετρακιχίλια.	4000
[X]	ε, πεντακιχίλια.	5000
[X] X,	ϛ, ἑξακιχίλια.	6000
[X] XX,	ζ, ἑπτακιχίλια.	7000
[X] XXX,	η, ὀκτακιχίλια.	8000
[X] XXXX,	θ, ἐννακιχίλια.	9000
M,	ι, μύρια. M.	10000

Porrò ſi quis Herodiani myriadem excedere, & progredi velit, hanc ſervare poterit methodum.

MM,	κ, δισμύρια.	20000
MMM,	λ, τρισμύρια.	30000, &c.

Si ulterius adhuc libeat, ſequatur notas minuſcularum literarum, hoc modo:

ιρ,	δεκακισμύρια.	100000
ισ,	εἰκοσακισμύρια.	200000

& ſic conſequenter.

C Notantur apud Homerum verſus ἰσόψηφοι. De quibus Muretus *lib.14.var.cap.13.* cum litteræ Græcorum etiam ad numeros ſignificandos adhibeantur, quorum verſuum omnes literæ pro numeris acceptæ, eundem numerum efficerent, ac conſtituerent, eos verſus ἰσοψήφους vocabant. Sunt autem ἰσόψηφα planè nomina: δαμαγόρος & λαιμὸς, ut è ſubjecta deſcriptione perſpici poteſt.

δ	4.		
α	1.		
μ	40.		
α	1.	λ	30.
γ	3.	ι	70.
ο	70.	ι	10.
ρ	100.	μ	40.
α	1.	ο	70.
ς	200.	ς	200.
	240.		420.

Apud Hebræos quoque obſervarunt *Rabbini* Eſther, & Su-
D ſanna Grammatica nomina eſſe ἰσόψηφα.

		ש	300.
א	1.	ו	6.
ס	60.	ש	300.
ת	400.	נ	50.
ר	200.	ה	5.
	661.		661.

Latini verò unitatem litera I. notabant: quoniam (inquit ex *Priſciano, & Valerio Probo Scalig.l.1.ling.Lat.c* 41.) minimò ſpatio eſſet virgula, ſicut unitas nullo: ac repetebant ſanè unitates uſque ad quinque, IIII. Quinarium ſcribebant per V. non propterea quòd ea nota dimidium eſſet X. quo denarium deſignarent, neque idcircò, quia olim ſcripſerant. QV, & poſteà Q. ſuſtuliſſent; ſed quoniam eſſet quinta vocalis; cùm qua repetitis, atque appoſitis unitatibus, ducebantur ad numerum denarium; quem idcircò X litera notavere, quia in vulgari ordine Alphabeti ſtatim poſt V ſubſequitur quo conſilio etiam, Centenarium numerum ſtatuiſſent per C, ſequenti elemento ſcilicet D, quingenarium depoſuere, vel quia proximè poſt C. ſequitur D. inquit Probus; vel, ut aliis placet, quia inter hanc, & M, quod mille ſignificat, quinque literæ intercedunt, quæ dimidium millenarii innuant. Vel, quòd magis placet, quia ſit capitalis litera hujus nominis, Dimidium, quod dimidium Millenarii ſignificet; vel potiùs quia E antiqui hunc numerum per ſiniſtram partem literæ M, ſic notarunt, M. quæ nota penè ſimilis eſt D. Ratio autem Centenarii à prima litera ipſius nominis accepta fuit, ſicut & Millenarii per M. Quingenarii verò notam non à nomine, ſed è Græcorum inſtituto excogitarunt; nam cùm illi per N. pingerent quinquaginta, priſci Latini qui hujus elementi loco ponerent identidem L, ut Lymphæ, pro Nymphæ, in hunc quoque uſũ L pro N ſubſtituere. Verùm hæc omnia diſplicent *Matthæo Hoſto*, qui *lib. De nu.c.5.* longè hæc aliter explicat, neque ſanè ineruditè: ſed non lubet hìc adſcribere, ne ſim longior.

Quidquid hac de re ſit, Romani ante uſum horumce numerorum annos Conſulares notabant clavis fixis, ſicut & Volſci in templo Nortiæ deæ Hetruſcæ, ut *Plinius* ſcribit *l.7. cap.40.* Annales, inquit, anteà in clavis fuerunt, & per numerum clavorum fixorum fuerunt anni numerati, quòd raræ literæ eo tempore fuiſſent, idcircòque clavum ex lege vetuſta figebat Prætor Maximus; dehinc à Conſulibus ad Dictatorem, De quo ritu *Vide VVovverium in Petron. Notis, Roſinum,* F *Alexandrum, Cælium.*

At verò Barbaricæ Arithmeticorum notæ, quibus hodieque utimur, ante trecentos annos tantùm ad nos venere ab Arabibus, inquit *Scalig. in Explicat. numi Conſtantini.* Hiſpani primùm eas accepere à Mauris: Latini deinde omnes ab Hiſpanis. Fertur autem priſcorum numerorum inventor primus Theut, ſeu Theutates, auctore *Plinio*. Zifræ autem vocantur ab Hebræo Zepher, quod eſt ſcribo, ſicut Cariard Zepher, hoc eſt; civitas literarum, in Scriptura ſacra, quod ibi literarum ſtudia florerent.

☞ *Videatur locus de Arithmetica.*

Encomia.

Pythagoras, ejuſque aſſeclæ, dicebant, omnia ex numeris compoſita, quod *Ariſtot.* refellit, ex eo quòd plura ſint, quæ gravitatem, & levitatem habent, cujus expertes ſunt numeri, neque etiam ex iis corpora continua effici queant, cùm ex unitatibus non continuum, ſed diſcretum fiat.

Salomon *Sapientiæ c.11.* dicit, Deum omnia conſtituiſſe in G numero, pondere, & menſura. Ubi per numerum, ſpeciem ſignificat, quia ſpecies ſunt velut numeri: Pondus, ordinem, quia res quælibet in bonum ſuum fertur: Menſura modum, quia illa rem quamlibet coercet, & modificat.

* Excellentiæ, Mysteria, et Significationes Numerorum Maxime celebrium in particulari.

Non eo inficias, quin plerique veterum etiam Doctiſſimorum virorum, multa ſubtiliter circa numeros conſiderent, & ex iis plura nonnunquam rerum maximarum myſteria eruere conentur. Cæterum ridet *S. Chryſoſtomus* illos, qui ex numerorum arcanis virtutibus rei alicujus cauſa accerſunt. Neque enim obſervatio inquit, ſed intempeſtiva hominum curioſitas talia fingere molitur. *Hom.24. in Gen.*

Sed quoniam non pauci, primi etiam ordinis ſcriptores, ſo- H lent numerorum qualitatem, ac ſingularem eorundem virtutem penitiùs inſpicere, multaque ex iis, arcana in medium proferre non abs re fuerit, ea in hunc locum congerere, quæ de numeris pleriſque apud Auctores deſcripta reperiuntur.

De unitate, que numeri eſt principium, dicetur ſuo loco.

Binarius.

Primus ordine inter numeros eſt Binarius. Hunc autem Imperfectum cenſent, quòd ſit abſque medio; omnis enim numerus perfectus habet principium, medium, & finem, Et ut ait *Pſelus l. de Arithmetica*, Binarius numerus refert materiam, & formam, nullamque cum Deo ſimilitudinem habet. Deinde dividit ab unitate. Unde ſcriptura in reliquis diebus creationis dicit, Vidit Deus, quæ fecit, & erant valdè bona; in ſecundo tamen nihil dicit.

Ternarius.

Ternarius numerus ſemper perfectior reliquis eſt habitus, quia in illo reperitur ratio principii, medii, & finis. Et quòd ſenſim à natura perfectionem acquirit, primò incipit, deinde progreditur. Poſtremò terminatur.

Genti

Gentiles ſanè naturæ quaſi legem ſecuti, tria in re divina A facienda adhibebant. Chaldæi & Æthiopes Deum venerabantur Thure, auro, myrrha. Græci, Igne, hoſtia, ara, Alii thure, igne, & precatione. Eoque ſpectat illud *Theocriti in Pharmaceutria*:

Ter libo, terque hæc promunto myſtica verba.

Etiam *Virgilii*:

——*Numero Deus impare gaudet.*

Et *Ariſt.l.1. de Cælo*: Tria ſunt omnia. Eſt enim uſus communis loquendi, ut de duobus dicamus ambo, vel utrumque; at cùm de tribus loquimur, omnia, ſive omne efferimus. Unde & primus numerus habetur Ternarius.

Gratiæ apud veteres numero ternario recenſentur. Itidem Parcæ, quòd nemini parcant dictæ. Etiam tres numero Deæ de pulchritudine contendebant, Juno, Pallas, Venus. Suntque tres Furiæ. Convivarum numerum à numero Gratiarum ordiebantur veteres. Multa de ternarii perfectione, uſuque in ſacrificiis tradit *Cæl. Rhodig. lib.12.c.9.* Certè triclinia hinc nomen ſumpſerunt.

Chriſtiani meritò numerum hunc ſacrum habent, propter adorandam illam ſanctam, & individuam Trinitatem, quæ & Abrahamo per trium virorum, quos inſtar unius ſalutavit, B ſymbolum fuit adumbrata. Apud Phyſicos tria ſunt corporearum rerum principia. Etiam anima noſtra tribus potentiis pollet, Intellectu, memoria, voluntate: Atque in ſole ſplendorem, calorem, ipſumque ſolem conſideramus. In pomo, colorem, odorem, & ſaporem.

Vetus illud Templum, cujus etiam figuram noſtra imitantur, diſtinguebatur in Atrium, Sancta, & Sancta Sanctorum. Denique virtutes Theologicæ numerantur tres.

Quaternarius.

Eſt Quaternarius primus numerus perfectus par, qui conſtat principio, medio, & fine.

Conſtituit hic numerus quadrum Geometricum, quæ eſt ſolidiſſima figura, unde & cæleſti Jeroſolymę ea accommodatur. *Apocal.20.* Quin nomen Dei ineffabile erat terragrammaton, ſive quadrilitterale. Erantque literæ, quas Hebræi quieſcentes vocant.

Omnia autem nomina perfecta apud Hebræos ſunt quadrilitteralia: Habent enim tres litteras thematis, cui additur quarta heemantica, ſive formatrix. Quin pleræque nationes nomen quadriliterum ad imitationem nomen Hebræi Deo in- C diderunt. Sic Ægyptii vocant Deum Θώυθ: Perſæ συρὴ: Hetruſci ἐσάρ: Arabes ἀλλὰ: Aſſyrii Αδάδ: Turcę Αγδὶ: Gręci θεὸς: Latini Deus, Germani *Gott*: Galli Dieu: Hiſpani Dios &c. Ita *Gyraldus ſyntagm.1. de Diis Gentium.* Itaque quaternarius virtute eſt omnia, nempè omnis numerus, omnis Muſica, omnis quantitas, omnis virtus.

Habet autem duas medietates, quibus elementa Deus devinxit, ut ſcribit *Plato, in Timeo.* Terra enim, & ignis elementa pugnantia aqua, & aere colligantur.

Eſtque in Scriptura numerus ſacer, ut patet in 4. Cherubin *Ezechiel.1.4.* animalibus myſticis, ibidem & *Apocalypſ.4.* Denique 4. ſunt Evangeliſtæ, per quos Deus voluntatem ſuam hominibus teſtatam eſſe voluit. Ex omnibus Eccleſiæ Doctoribus, quos tanquam terræ ſalem, mundique lumen Chriſtus dedit, quatuor velut per antonomaſiam eò titulo decorantur, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius. Ut qui præ reliquis Chriſtianæ religionis dogmata ſcriptis ſuis confirmarunt, & exſurgentes adversùs ea Hæreſes repreſſerunt. Inter Prophetas etiam celebrantur D ceu reliquis excellentiores hi quatuor: Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel.

Univerſum hoc quadrifariam partimur, In Europam, Aſiam Africam, Americam. Anni tempora quatuor numerantur: Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems. Noctem in quatuor vigilias veteres partiti ſunt.

Magnam hanc molem Deus quatuor Elementorum commixtione coagmentavit. Cauſæ etiam omnium rerum à Phyſicis quatuor numerantur. Monarchiæ Imperium etiam ſunt quatuor: Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum. Virtutes, quæ Cardinales vocantur, ſunt numero 4. vitæ noſtræ complexiones itidem ſunt quatuor: Sanguinea, Cholerica, Phlegmatica, & Melancholia.

Immò *Macrobius lib.1. in ſomn. Scip.c.6.* ait inter alia: Pythagoreos adeò inter arcana ſua quaternarium venerari: ut ex eò etiam Juris jurandi religionem ſibi fecerint, ſcilicet hanc:

ἀ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾳ παραδόντα τετρακτὺν.

Non equidem per eum, qui animæ noſtræ tradidit quaternarium. E

Inſuper quaternarius cum ternario efficit ſeptenarium numerum perfectiſſimum. De quo infrà. Poetæ quatuor mundi ætates aſſignant. Chriſtus, primam Apoſtolorum vocationem à duplici binario duobus nempè fratrum paribus exorſum fuit.

Quin ſi ampliùs hujus numeri ſymbola inſpicimus, ſunt qui in re conſiderant quatuor Paradiſi flumina: Item quatuor Angelos, qui mittendi ſunt. *Matth.24.* ut à quatuor ventis colligant meſſem Electorum. Quatuor ſigna, quæ geſtarunt XII. tribus Iſrael, de quibus vide *locum de Evangeliſtis.*

Quatuor annulos, quibus portabatur arca, Quadrigas Aminadab, de quibus liber *Canticor.c.6.*

Quatuor genera rerum, quibus conſtat noſtra inſtitutio: nempè præcepta ad juſtitiam, mandata ad charitatem, teſtimonia ad fidem, exempla ad perfectionem.

Vel dogmata, præcepta, minas, promiſſa.

Vel verbum ſcriptum, ſigna, ſanctitas miniſtrorum, perſecutio,

Denique teſtimonia illuſtriora à Deo data. Arcus cæleſtis.

Circumciſionis, Legis veteris, & Evangelii.

Etiam veſtes Chriſti quadrifariam diviſæ, *Joan.18.*

Quatuor cornua Crucis ipſius.

Lazarus inſuper quatriduanus erat, cum à morte ſuſcitaretur. F

Eſtque mors quadruplex ſecundùm *S. Hieronym.* naturalis, civilis, culpæ, gehennæ. *Prolog. in Matthęum.*

Ariſtoteles virum perfectum numerò quadrato comparat. *1. Rhetor.cap.12.*

Quinarius.

De numero Quinario pauca apud Scriptores celebrata reperiuntur. Conſtat enim numero imperfecto, & perfecto, binario, & ternario. Duplex autem quinarius facit denarium, qui inter perfectiſſimos numeros cenſetur. Ut infra ſuo loco oſtendemus.

Ceterùm in univerſo hoc quinque Zonas diſtinguunt Geometræ, ſub quibus degere omnia viventia contendunt. In homine quoq; numero quinario ſenſus comprehenduntur. Rerũ omnium admirabilium inſtrumentum, ſine quo vita hominis commodè, immò vix tranſigi poteſt, eſt manus quinque digitorum ad invicem in palma colligatorum diſtinctione formata.

In Evangelio Chriſtus regnum Cælorum comparat decem virginibus: quarum quinq; fatuæ erant, & quinque prudentes.

Idem Dominus cataractas quinque pretioſi Sanguinis ſui pro ſalute noſtra aperuit, quinque vulnera majora in corpore ſuo excipiendo. G

Olim David elegit de torrente quinque limpidiſſimos lapides, dum adversùs immanem illum Philiſtæum in arenam deſcendit.

Apud Geometras etiam quinque pedes faciunt paſſum.

Sed & numerus quinarius multiplicatus decies, conſtituit numerum Jubilæi, & remiſſionis. *De quo infrà.*

Univerſa quoque Mundi Hiſtoria, quam Moyſes complexus eſt quinque libris abſolvitur, qui ob id Pentateuchus appellantur.

Quin in antiquioribus legis Moſaicæ præceptis legimus, quod ſi quid aliquid ſurripuiſſet de oblationibus, aut rebus ſacris, obligatus fuerit ad reddendum tantumdem, & inſuper ἐπίπεμπτον, hoc eſt alia quinque adiicere oportebat.

Senarius.

Senarii numeri perfectionem *S. Auguſtinus, Beda, & Philo* colligunt ex ipſius compoſitione. Conflatur namque ex uno, binario, & ternario. Hunc autem Deus celebrem eſſe voluit, quando ingentem hanc machinam ſex dierum ſpatio comple- H vit: quorum poſtremo, ſcilicet ſexto, hominem condidit: Quo etiam die Dei filius redemptionis noſtræ pretium condidit:

In Cana Galilææ idem Dominus ſex Hydrias ibi in nuptiali convivio poſitas, & aqua impletas, in vinum convertit.

Veteres plerique omnes, mundi ſex ætates aſſignant, ut fuſè diximus *in loco de Mundo*. Fuitque multorum ſtabilis opinio, mundum dumtaxat ſex annor. millibus perduraturum. De quo loco allegato. Numerus etiam incluſus in nomine venturi Antichriſti deſcribitur fore ſexcentorum ſexaginta ſex. De quo vide *locum de Antichriſto*. Apud Oratores familiare eſt, ut Sexcenta uſurpentur pro magno numero indefinito. Sic *Plautus* ſexcentoplagum vocat illum, cui plagæ innumeræ nunciabantur.

Septenarius.

Septenarium numerum omnium rerum nodum Cicero *de Republica lib.6.* appellat. Fuiſſe autem olim hunc Hieroglyphicum

phicum Dei, *Philolaus* affirmat. Quippe quod ea ſit hu-A jus numeri prærogativa, ut ipſe ſibi ſimilis, alter ab aliis ſit velut Deus, dux, & princeps univerſorum ſolus, ſemper ſingularis, & immobilis. Ita *Pier. in Hieroglyph. lib. 37. cap.21.*

Hujus autem numeri excellentiam, & varias prærogativas apud Scriptores tum Eccleſiaſticos, cum ſæculares reperire eſt. Pleraſque compilavit in ſua Aſtronomia *H. Ranzovius*, & alii: quorum labore hic uſi ſumus.

Eſt igitur *numerus* Septenarius, ut *Macrob. lib.1. cap. 6.* & poſt eum *Niceta, in Gregoram* ſcribens annotavit, numerus perfectionis, quod ſolus ex omnibus, qui denario minores ſunt, nec ab alio gignatur, nec alium gignat: Unde & Arithmetici hunc numerum virginem appellant, eumque Palladi ſacrum eſſe dixerunt, quia nihil ex ſe pariat, quod intra denarii limites poteſt coarcervari duplicatum, σεπτάκα eundem nonnulli appellarunt, quaſi τό σεπτὸν, id eſt, venerationem, atque excellentiam ei tribuentes. *Et D. Hieron. in Amos* Prophetam ſcribens eundem numerum ſanctum vocat, non abſque ratione. Conſtat enim Deum ipſum ſeptimum ſibi diem conſecrando, aliquid in eo numero eſſe cùm perfectionis, tum myſterii, & ſignificationis indicaſſe. Quòd ut fiat manifeſtum, aliquot B hujus rei teſtimonia ſubiicio.

Homerus.

Septenuſque dies fuit, in quo cuncta peracta.

Callimachus.

Omnia ſeptenaque die perfecta fuere.

Deus creavit mundum ſex diebus, quem ſeptimo complevit, eique ceſſans ab operibus benedixit. Ideòque hunc diem Judæis ſacrum eſſe voluit, & ab illis Natalis mundi dicitur, tunc enim omnia facta, & edita apparuerunt.

Hunc diem etiam gentes ſuis diis ſacrum, & gratum eſſe cenſuerunt, quod à patribus ad illas manaſſe nulli dubium eſt. Orpheus enim antiquiſſimus *Poeta* ita *de Apolline* canit:

ἑβδόμῳ φίλησεν ἑκάεργος Ἀπόλλων, id eſt,

Ecce ſagittifero pergrata eſt ſeptima Phœbo.

Et Chriſtianis, quemadmodum & Judæis, per ſeptem dies labitur tempus, & finito ſeptenario rurſus ad caput reditur, ac eadem forma apud omnes gentes numeratione, & repetitione volvitur, & per hujuſmodi ſeptenariorum volutione ſecula tranſeunt, & peraguntur.

Septimus ab Adamo Enoch vivus in cœlum eſt translatus, C ut hoc miraculo Eccleſia edocta ſciret, ex corruptibili, & morti obnoxia vita, in immortalem, & omnibus ærumnis carentem locum nos transferendos eſſe.

Exodi 25. jubet Deus ſeptem Lucernas die, noctuque accenſas fulgere in tabernaculo, quo ſignificatur plena, & perpetua donorum ſpiritus ſancti in Eccleſiam effuſio, quemadmodum ritus ille è *Zach.c.*4. poſteà copioſius eſt explicatus.

Deuter. cap.16. Septem diebus comedes panem abſque fermento.

Ibid. Septem Hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris, & celebrabis diem feſtum hebdomadarum, ſolemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies.

Septimi menſis primo die habebant Judæi ſacrum conventum. Decimo ejuſdem ſeptimi menſis die jejunabant. *Num. 19. cap.*

*Levit. c.*25. Sex annis ſeminabis agrum tuum, ſeptimo anno Sabbatum erit terræ. Deinde numerabis ſeptem Sabbata an-D norum, ſepties ſeptem annos, qui efficiunt annos 49. tunc clanges buccina Jubilationis menſe 7. & ſanctificabis annum 50. quia ipſe eſt Jubilæus.

Moyſes conſtituit, ut ſingulis ſeptem annis legeretur Deuteronomion publicè in feſto tabernaculorum. *Deut.*31.

Septimo anno etiam Judæi tam ſervos manu mittere, quàm debitoribus debita condonare in ſua gente lege divina jubebantur. *Deut.*15.

Poſt ſeptem habdomadas annorum circumactas, id eſt, poſt annos 49. completos, qui eſt Climacter hebdomadicus, annus ſcilicet quinquageſimus, poſſeſſiones emptæ inter Judæos redibant ad priores hæredes, quibus emptores cogebantur eas reſtituere.

Ex his ergo conſtat, Judæis celebritates ſeptimo die, ſeptimo menſe, ſeptimo anno, agrorum quietem, & ſervorum manumiſſiones, & omnium debitorum liberationes indictas: poſt annum verò ſepties ſeptimum magnum 49. Jubilæum, agro- E rum etiam ad priſtinos dominos reverſiones mandata fuiſſe:

Dixit Dominus Cain: Omnis, qui te occidet, ſeptuplum punietur. *Geneſ.*4.

Noe cùm ſeptem perſonis ingreſſus eſt arcam, dixit Dominus Nôe: Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena, Item è ſingulis volatilium generibus ſeptem. *Gen.*7.

Et poſtquam Noe intraſſet arcam, & ſeptem dies prætetiiſſent, terram aquarum illuvies inundavit.

Septimo die emiſit Noe columbam, quæ rediit ferens ramum olivæ, & poſt ſeptem dies emiſit aliam, quæ non rediit.

Septimo menſe requievit arca Noe in monte Ararat.

Septem fuerunt filii Japhet.

Septem agnos poſuit ſeorſum Abraham, cùm fecit fœdus cum Abimelech pro pueto.

Septem annos ſervivit Jacob pro Lia, & alios ſeptem pro Rachel filiabus Laban.

Defuncto Jacob luxit eum Joſeph cum Ægyptiis ſeptem diebus.

Septem fuerunt Boves in ſomnio Pharaonis pingues, & alii ſeptem tenues, ac fame confecti, & ſeptem ſpicæ ex uno grano enatæ: & ſecuti ſunt ſeptem anni fertilitatis, & ſeptem anni ſterilitatis. F

Septem filiæ erant ſacerdoti Madian, ex quibus unam duxit Moyſes Zephoram in uxorem. *Exod.c.*2.

Septem Dies Maria ſoror Araonis cogebatur egredi extra caſtra.

In ſeptem diebus ſummi Sacerdotis conſecratio conſumebatur.

Septem diebus in Paſcha edebatur Azyma.

Septem brachiis, & totidem luminibus candelabrum Judaicum adornabatur.

Septem lucernas cum emunctoriis fieri fecit Moyſes de auro mundiſſimo. *Exod.*37.

Septimi diei inſpectione Leproſi à ſacerdote judicabantur.

Septimo menſe Arca fœderis poſtquam capta fuerat, rediit ad Iſraelitas, 1.*Reg.*6.

Circuite urbem cuncti bellatores, ſemel per diem, ſeptimo autem die tollent ſacerdotes ſeptem Buccinas, quarum uſus eſt in Jubilæo, & præcedent arcam fœderis, ſepties circuibitis civitatem, & ſacerdotes clangent buccinis *Joſue c.*6.

Balaac Rex juſſus eſt à Balaam vate ædificare ſeptem aras, & adducere ſeptem vitulos, ejuſdem numeri ſeptem arietes.

Samson habuit fortitudinem ſuam in ſeptem cincinnis capitis ſui. *Jud.*6. G

Septem gentes Canaam ſunt deletæ coram Iſrael.

Septem ex Sauli progenie à Gabaonitis ad ſupplicium poſtulati ſunt.

In ſeptem annis templum à Salomone extructum.

Salomon feſtos dies ſeptem celebravit, & omnis Iſael cum eo.

Idem ait de Chriſto, & Eccleſia: Sapientia ædificavit ſibi domum, & ſuſtulſit columnas ſeptem.

Heliſæus ſuper puerum mortuum ſepties inſpiraſſe legitur 2. *Reg.*4.

Præterito annuæ ſeptimanæ tempore ſeptuagenarii captivi ex Babylone liberati ſunt.

Septem fratres Hebræos Antiochus Rex ad ſupplicium rapi juſſit. 2.*Mach.*7.

Septem Vitia deteſtatur Dominus. *Proverb.*6.

Septem recenſentur dona Spiritus Sancti. *Iſa.* 11. quibus plena, & perfecta omnium donorum Spiritus Sancti effuſio ſignificatur. H

Septem numerantur Pſalmi pœnitentiales.

Elisa reſuſcitavit Sunamitidis filium, & hortatur, ut propter famam ſeptem annos duraturam aliò ſe conferat 2.*Reg.*4. & 8.

Sara filia Reguelis ſepties deſponſata, neque ullis nupta fuit.

Iſaiæ 4. Septem Mulieres apprehendent unum virum.

Septem Fratres unam eandemque mulierem duxerunt, unus poſt alium. *Matth.*21.

*Pſal.*12. habetur, Promiſſa Dei pura eſſe, ut argentum in vaſe teſtaceo examinatum, ſepties perpurgatum.

Job habuit filios ſeptem. *Job.*42.

Amici ejus ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus. *Job.cap.*2.

In

In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tan-A get te malum. *Jab. cap.*5.

*Eccleſ.*22. Luctus Mortui ſeptem dies unde mos, quòd mortuorum exequiæ ſeptimo die celebrantur.

Rex Nabuchodnoſor inter beſtias degebat annos ſeptem, & gramine veſcebatur, ut Daniel ei ex ſomnio prædixerat.

Septuageſima, & ſeptima generatione ab Adamo Chriſtus naſcitur, quemadmodum per Genealogiam *Lucas* demonſtrat.

Joannes Apoſtolus vidit Librum ſignatum ſeptem ſigillis, & Agnum habentes cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram. *Apocalyp. cap.*5.

Fit etiam mentio ſeptem Sigillorum, ſeptem Angelorum, & ſeptem tubarum. *cap.*8. *Apoc.*

*Cap.*12. dicit de Dracone habente ſeptem capita, & in capitibus ejus diademata ſeptem.

*Cap.*15. Vidit Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem noviſſimas.

*Cap.*17. Et venit unus de ſeptem Angelis, qui habebat ſeptem phialas, & Mulierem habentem capita ſeptem. Septem B capita mulieris ſunt ſeptem montes, ſuper quos mulier ſedet, & Reges ſeptem ſunt. Et plura de hoc numero in aliis capitibus reperiuntur.

Apoſtolus Paulus ſcripſit bis ſeptem epiſtolas ad ſeptem Eccleſias gentium, & reliqui Apoſtoli tantum ſeptem, & hæ ter ſeptem vocantur Catholicæ epiſtolæ.

Septem eliguntur Diaconi, *Act.*6.

Chriſtus pavit quatuor millia hominum ſeptem panibus, ex quibus fragmentorum collegerunt ſeptem corbes. *Marci* 8. *cap.*

Septem annos vixit Anna Prophetiſſa cum marito. *Luc.*2.

Septimum caput Iſaiæ vaticinium continet de Emanuele.

Septem Dæmonia Chriſtus ejecit ex Magdalena.

Septem precationibus orandum patrem docuit, quæ ſunt ſepties ſeptem verbis concluſę.

Septies locutus eſt Chriſtus in cruce pendens, ſicut apud Evangeliſtas legimus, & viri ſancti jampridem religioſè obſervarunt.

Septem horis fuit cruci affixus, ſeptima expiravit.

Septem partibus corporis ejus ſanctiſſimus cruor efflu-C xit.

Septimo die, id eſt, Sabbatho, requievit in ſepulchro.

Septies diverſis locis poſt reſurrectionem apparuit Chriſtus mulieribus, & diſcipulis.

Septies ſeptem diebus expletis poſt reſurrectionem miſit Paracletum Spiritum ſanctum.

Nota etiam eſt vox dulciſſima: Quoties remittam? non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.

Septies verò ſeptuaginta 490. efficiunt, qui numerus non tantum eſt Climactericus, ſed etiam myſticus, quod vel ex hoc Chriſti dicto, & Danielis vaticinio colligitur, & ex multarum, magnarumque mutationum periodis oſtendi poteſt, de quibus infrà nonnihil dicetur.

Nec tantùm Hebræi, ſed & Græci, & Latini ſeptenario numero perfectum quid, & omnibus numeris plenum ſignificant. Notum eſt enim illud *Homeri.*

τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο.

Quod Virgilius verbum verbo reddens ſic exprimit.

O terque, quaterque beati, &c.

D hoc eſt, beatiſſimi.

Nec verò ex ſacris tantùm literis conſtat, Deum ſeptenario majorem in modum delectari. Sed & tota rerum natura argumenta hujus rei præbet illuſtria.

Nam ut ea, quæ *Philon*, & *Hierocles* ſuper ſeptenarii perfectione prolixè diſputarunt, nunc miſſa faciamus: illud quod noſtri temporis inventum eſt, non eſt diſſimulandum multarum rerum, ne de argento ſolo hoc dictum exiſtimemus, quæ per ignis iterationem depurgantur, perfectione in ſeptima decoctione conſiſtere, veluti quotidiè cernere eſt in Sacchаro depurgando. Nam ubi ſepties igne id examinaveris, percoxeriſque, nihil quicquam ulterius proficit, ſed lapideſcit penitus, ne ulterius eliquari poſſit, unde proverbium vulgò uſurpatum de re, quæ ſummam adepta ſit perfectionem, ſeptimæ decoctionis ſaccharum, ubi ſagaciſſimum quempiam, atque vaferrimum hominem deſignamus. Sed videamus & alia in natura non minus notatu digna.

In cœlo habemus ſeptem Stellas errantes, videmus ibidem ſeptem Plejades. E

Major, minorque Urſa totidem ſtellis inſignitæ cernuntur. Quemadmodum, & patera, corvus, ara ſeu thuribulum. Eſtque in Septentrione ſecundùm *Ariſtotelem* vis maſcula, contraria in Auſtro.

Ipſe quoque Zodiacus, & Solis motus ſeptenario numero non vacat. Nam in ſeptimo ſigno fit ſolſtitium à Bruna, in ſeptimo Bruma à Solſtitio, in ſeptimo æquinoctium ab æquinoctio. Deinde ab oriente ſigno quodlibet ſemper ſeptimum occidit, & ab occidente ſemper ſeptimum oritur.

Inſtante ſeptima hora, Sol ſingulis diebus, ac noctibus alium angulum cœli ingreditur.

Septem olim numerabantur Climata, nunc plura.

Oceanus etiam in incremento æſtuum maritimorum hunc numerum ſervat. Nam primo naſcentis Lunæ die fit copioſior ſolito: diminuitur pauliſper ſecundo die, & ſic tertio uſque ad ſeptimum diem. Deinde iterùm creſcit paulatim per ſeptimum diem uſque ad plenilunium, & ſic deinceps.

Et hunc ſeptenarium ordinem ſingulis diebus, ac noctibus in creſcendo, ac decreſcendo, ſecundum Lunæ ortum, & occaſum, Oceanus etiam occidentalis ſequitur. Nam ſex integras horas creſcit, quibus præterlapſis ſeptima decreſcit: Septima rurſus adventante iterùm augeſcit, ita ut adventante ſe- F ptima hora perpetua fiat mutatio in mari occidentali: quemadmodum etiam in Anglicis, Belgicis, & his noſtris Cymbricis locis, & fluminibus non procul è mari diſſitis, & illud influentibus, ut in Tameſi, Scaldi, Albi, Stora, Eidora, Viſurgi, & cæteris.

Iſter, ſive Danubius ſeptem oſtiis in pontum Euxinum devolvitur: quemadmodum etiam Nilus tot oſtiis in mare Mediterraneum delabitur. Ut Poetæ teſtantur his verſibus,

Flaccus lib.6.——Exitus Iſtri
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus, ſeptem exit aquis, ſeptem oſtia pandit.

Juvenal. *Satyra* 13.

Rari quippe boni, vix ſunt numero totidem, quot
Thebarum portæ, & divitis oſtia Nili.

Alius.

Roma ſuos ſeptem colles, miracula ſeptem
Mundus habet, totidem ſidera laxa Polus.
Artes ingenuæ ſeptem, ſeptem oſtia Nili
Sunt, &c.

Euripus maris pars inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eu- G bœam inſulam habet ſeptenarium fluxum, ac refluxum. Quod *Seneca* teſtatus eſt his verſibus *in Hercule*:

Euripus undas flectit inſtabilis vagas,
Septem curſus flectit, & totidem refert,
Dum laſſum Titan mergit Oceano Jubar.

Scribunt nonnulli, inter quos *Zenocarus*, Padum ſeptem maria, ſive ſtagna efficere.

Luna quoque quater ſeptem diebus curſum ſuum periodicum conficit, & ſingulis ſeptem diebus ſenſibiliter faciem mutat, & unam quadram complet.

In naturæ hiſtoriis felices ſunt in mari dies à ventis, qui conſileſcunt omnino, Alcyonides dicti, de quorum numero etſi inter Græcos eſt diſceptatio, Simonide quinque ſaltem dies illis tribuente: tamen Demagora, Samius & alii ſeptem, aliqui etiam quatuordecim illis tribuunt, ut ſeptem intelligantur ante excluſum halcyonum fœtum, totidemque poſt, quibus in mari Atlantico ſumma notetur tranquillitas.

In Ægrotis etiam in ipſis penè articulis ſeptimorum dierum accidunt ſubitæ morborum converſiones, quæ aut oppreſſos H eos perimunt, aut morbos profligant.

Attalus Rex Pergami ex Solis ardore morbum contraxit, & ſeptimo die deceſſit. *Juſtin.*

Julianus *in Epiſtola ad Lbianium*, ſeptimo die ad te hæc ſcripſi, cum mihi Dei providentia valetudo è ſententia procederet.

Galenus *lib.1.c.4.de dieb.decretor.* ſcribit, Septimum numerum decretoriorum omnium non numero, & ordine, ſed viribus, & dignitate primum eſſe.

Ejus rei cauſam ſuprà annotavimus, Septenarius verò duplicatus alterum diem Criticum producit, quòd Luna ad oppoſitum tunc ſignum perveniat. Itaque hos duos dies ad κρίσιν morbi plurimum valentes imprimis obſervari jubet *Galenus*. adeò ut cùm ſextæ diei malitiam tyranno comparet, ſeptimæ regiam planè poteſtatem tribuat.

A Itaque, & *Hieronymus* ex Aſtrologorum, & Medicorum ſchola hoc ſumpſit, quòd ſcribit ardentiſſimas Febres diebus ſeptem, aut bis ſeptem, aut ter ſeptem terminari. Ut autem acutæ febres ſeptimo die, ita diuturnæ, auctore *Avicenna*, ſæpè ſeptimo menſe, nonnunquam ſeptimo anno interdum, quod mirum eſt, quarto decimo, aut etiam viceſimo primo ſolent terminari.

Sic ab initio mundi omnes labores, ac moleſtiæ ſeptenario numero conquieſcunt, & omnia quæ divinitus principium, ac cœlitus contrahunt, juxta ſeptenarium moventur ſalutariter.

Septimo menſe nati ſunt vitales: octavo verò minimè, aut valdè raro. Hoc teſtatur *Paulus jureconſultus in lege. Septimo menſe, Digeſtis de ſtatu hominum*, ſic inquiens: Septimo menſe legitimum partum naſci, propter auctoritatem doctiſſimi viri Hippocratis, ſtatuimus.

Septimeſtres autem fœtus eduntur in lucem ſecundùm eundem *Hippocrat.* diebus 182. & aliquot horis. Hic numerus, continet in ſe ſepties viginti ſex. Qui autem eduntur 210. diebus, ſeptimum menſem terminant, & tres integras ſeptimanarum decadas aſſecuti, quarum ſingulæ
B decies ſeptem dies, aut ſeptuaginta capiunt. Qui numerus collectus continet in ſe ſepties triginta dies, & ſic ſeptimeſtris partus ſeptenario numero undique perfectè conſtat, ac procedit.

Cùm in uterum mulieris genitale Semen eſt illapſum, nec intra ſeptem horas in effuſionem relapſum (ita enim demum hæſiſſe in vitam pronunciatur) primis ſeptem diebus coagulatur, conglobatuſque fitque ad capiendum figuram idoneum.

Septima verò hebdomada, id eſt, nono & quadrageſimo die totus homo in utero abſolvitur.

Poſt ſeptem die natus Infans jactat reliquias umbelci. Et auctor eſt *Ariſtoteles*, veteres Græcos infanti ante diem à nativitate ſeptimum nomen imponere non fuiſſe ſolitos, quod priùs non videretur omnino vitalis.

Poſt bis ſeptem dies incipit ad lumen viſus ejus moveri.

Dentes ſeptimo menſe incipiunt mandibulis emergere: ſeptimo anno labuntur, & renaſcuntur pueris, qui Saturno propriè attributi ſunt, qui ſic in his dominium ſuum, ac vim exercet. His etiam annis vim perfectivam eloquendi, & pronunciandi aſſequuntur.

C Bis ſeptimo, id eſt, decimo quarto anno pubertas accidit, & dicuntur Pueri, quod ſint puri, id eſt, impubes, & vis incipit generationis in maſculis, & purgationis in fœmellis.

Ter ſeptimo anno, id eſt, vigeſimo primo barba naſcitur, ac vox mutatur, fitque finis incrementi, atque ita Adoleſcentes fiunt, ab adoleſcendo nominati.

Quater ſeptimo anno, id eſt, vigeſimo octavo augmentum roboris conſequuntur, fiunt Juvenes, quod Rempubl. in re militari juvare poſſunt.

Quinto ſeptennio, id eſt, trigeſimo quinto nuptię appetuntur, & Proli opera datur.

Sexto ſeptennio, id eſt, anno quadrageſimo ſecundo vis intelligendi maturatur, & quando completa fuerit ſeptem annorum hebdomada, id eſt, ſepties, ſeptem anni, ſive anno 49. matureſcit in homine prudentia, & fit ætas perfecta, & incipiunt ſeneſcere, unde Senatores nominant.

Octavo ſeptennio, id eſt an. 56. tam in bellis, quàm in pace acta conſiliis, & eloquiis ornantur.

Nono ſeptennio, id eſt ann. 63. vires decreſcunt, & labuntur, fiuntque homines religioſiores propter inſtantem mortem, eſtque Senectus ipſa.

D Cùm verò ad decadas ſeptenarum, id eſt ad ſeptuageſimum annum fuit perventum, tunc Senes appellantur, propterea quòd corpus ſenio laborat, & tunc metam vivendi ferè peractam multi putant, ut & David ſentit dicens, Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta ſunt: ſibi ipſi finem vitæ præſagiens, nam eò anno ætatis mortuus eſt. Et *Varro*, dicens, ſi aliquis ad decies ſeptenos annos fatalia deprecando proferre poſſet, non deberet ampliùs poſtulare, & difficilè à Diis etiam impetraret longius tempus vivendi. Homines enim 84. anno ætatis à mente ſua abire, neque his fieri prodigia.

Philo ait, quod illo tempore vitæ finis ſit optimus, integris etiamnum inſtrumentis ſenſuum.

Ex his conſtat, ſeptenarium numerum eſſe, qui hominem concipi, formari, edi, vivere, & ali oſtendit, ac per omnes gradus ætatum eundem tradit ſenectæ, quo rota humana finitur, ut *Cenſorinus*. ait.

Et ſic ſeptem, ſecundùm *Hippocratem*, ſunt hominis Ætates: Infantis, Pueri, Adoleſcentis, Juvenis, viri, ſenioris, & ſenis, quas hiſce deſcribit verbis. E

1. Infans eſt, donec intra ſeptennium dentes emittat. 7
2. Puer, uſque genituræ excretionem ad geminatum ſeptennium. 14
3. Adoleſcens, uſque barbæ hirſutiem ad annum ter ſeptimum. 21
4. Juvenis, uſque dum creſcit totum corpus ad quater ſeptimum. 28
5. Vir, uſque unde quinquageſimum ad ſepties ſeptimum. 49
6. Senior, uſque ſextum ſupra quinquageſimum, ad octies ſeptimum. 56
7. Quiſquis verò deinceps ſequitur, ad ſenium pertinet. 63

Et ſingulis hominibus ſunt ſeptem motus, ſeptem præcipua membra corporis, ſeptem interiora viſcera, ſeptem foramina capitis, per quæ ſenſuum celebrantur officia, ſeptem nervorum paria, ſeptem excrementorum corporis excernendorum meatus, ſeptem cranii oſſa, ſeptem horarum ſpatio ſomnus naturalis homini circumſcribi ſolet.

Sufficere hæc poterant, ad oſtendendum id, quod de numero ſeptenario dicere inſtitueramus, numerum hunc habere F peculiarem quandam ſignificationem præ cæteris, ideòque venerandum, & myſticum eſſe, & rerum vel perfectioni, vel multitudini aut perpetuitati notandæ adhiberi. Sed quia ſemel in hujus rei mentionem incidimus: illud quoque addendum eſt; quod eſt apud *Euſ. lib. 21. præparat. Evang. de vocab. Græcis*, non indignum notatu, & à quodam apud Græcos homine ſapiente obſervatum. Sunt enim ſeptem apud Gręcos vocales, quæ hoc modo collocatæ (ΙΕΗΩΟΥΑ) nomen Dei tetragrammon exprimunt, quod veteres dixerunt ineffabile, non ob ſyllabarum collectionem, aut vocis prolationem inhibitam (quamquam poſtremæ ætatis inſcitia, & ſuperſtitio Judæis id perſuaſit) ſed quòd æterna, atque infinita Dei eſſentia, quæ nomine Jehova ſignificatur, comprehendi mente, aut exponi oratione nequaquam poſſit. Nulla enim apud nos eſt appellatio, quæ Dei naturam indicet, ideòque quòd ad hanc attinet, planè is eſt ἀκατονόμαστος illa verò, quæ ἀπὸ τοῦ εἶναι facta, & ipſius Dei ore eſt prolata, inter omnes appellationes ipſi maximè propria eſt, cùm cęteræ omnes opera Dei potiùs, & quæ circa ejus naturam conſideranda veniunt, quàm Deum ipſum indicent. Illud igitur nomen יהוה quòd eſt ὁ ὢν ſeu exiſtens, G Hræcis vocalibus comprehenſum eſſe, quidam his verſibus docuit:

ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ,
γράμματα τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα.

Nec tantùm nomen Dei venerandum, ſed & Muſica omnis, ut *Pier. Valerian. in hieroglyph.* annotavit; ſeptem vocalibus Græcis exprimi aliquando ſolebat. Nam *Demetrius Phalereus in comm.* περὶ ἑρμηνείας Ægyptiorum fuiſſe morem ait, ſeptem vocalium modulata enunciatione Deum collaudare. Septem porrò vocales *Plutarch.* Muſicæ totidem vocibus accommodar. Et *Phurnutus* ex veterum dictatis obſervat, ſeptem eſſe diverſos terminos, quibus olim tota modulatio conſtaret. Vox verò ipſa ſaltem patitur qualitates, acutam, gravem, circumflexam, denſam, tenuem, longam, brevem. Ac veluti eſt apud *Philonem*: Septenarii numeri proportio eſt valdè Muſica, quippe qui ſex ad unum ſexcuplarem habet. Sexcuplaris verò ratio maximum in re propoſita intervallum facit, quo quidem acutiſſimum à graviſſimo ſeparatur. Cæterùm & quinque ad duo vim plurimam in harmonia demonſtrat, ipſi τῷ διὰ πασῶν ferè æmulam. Et ut ſemel dicam, hebdomas cùm ternario, quaternarioque conſtet, harmoniam omnem amplexatur, quippe διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, & H διὰ πασῶν, omnes quoque proportiones, Arithmeticam, Geometricam, & Muſicam. Quis igitur non cum *Cicerone* concludat, ſeptenarium numerum rerum omnium nodum eſſe? & cùm *Hippocrate* ejuſdem numeri ratione hominum ætates diſpenſari, corporaque humana à prima in utero conformatione, ſeptimo quoque die, menſe, & anno immutationis aliquid accipere: Et cùm *Philone* vim perfectione rerum inſitam continere. Et hunc numerum perfectum, mundum Deo conſecratum, menſuram temporis, ordinis, & quietis eſſe, ac ſymbolum univerſitatis, ut paſſim affirmant *Pythagoras, Plato, Ariſt. Galenus, Cyprianus, Origenes, Hieronymus, Ambroſius. Auguſt.* & alii, ex quorum ſcriptis, qui Chriſtiani fuerunt, ut *Irenæi, Hilarii, Bedæ, Juſtini, Polycarpi, Lactantii, Cyrilli, & Chryſoſt.* colligitur, eos in hac opinione fuiſſe, conjecturam facientes ex opificio mundi. Sex dierum mundum duratu

ratu

taturum ſex millia ferè annorum, ſeptimo millenario æter-
A num Sabbathum futurum: putantes antefactorum narrationem futurorum prophetiam eſſe. Ethnicos in eadem opinione fuiſſe, *Lactantius* prodit, ut Hiſtaſpen. Mercurium Triſmegiſtum, ac Sybillas.

Nota eſt traditio domus, ſeu ſcholæ *Eliæ Rabini* Judæorum, ut abſque fundamento quidam volunt, ex traditione Eliæ Theſbitis prophetæ, quæ poſteà verſibus etiam eſt comprehenſa.

Sex millibus annorum ſtabit mundus, & poſteà collabetur,
duobus millibus inane.
Duobus millibus lex.
Duobus millibus Meſſias.

Si qui ex his deerit, id deerit propter peccata noſtra, quæ multa, & magna ſunt.

Iſti ſunt ſex dies hebdomadæ coram Deo, ſeptimus dies ſabbathum æternum eſt, *Pſal. 9. & 2. Pet. 3.* Mille anni ſicut dies unus. *& Pſal. 89.* Quoniam mille anni ante oculos tuos ſicut dies heſterna, quæ præteriit.

Sic domus Eliæ docet, in ſex millibus annis
Finis erit mundi, credite finis erit,
In vano duo millia ſunt, duo millia legis,
Poſt duo Meſſiæ millia, finis erit.

B

Aliud.

Mobilis annorum ſtabit ſex millia mundus,
Lux operum mundi ſeptima finis erit.
Ante Deum, nullo qui circumſcribitur ævo,
Annorum ſpatium eſt mille, quòd una dies.

Sed neque tempus, neque dies, neque menſis, neque annus adventus Domini, & finis mundi ſciri poteſt, ſed ſigna adventus videndo, & credendo expectare liberationem, & ſalutem promiſſam nos omnes decet.

Porrò, quia multorum chronicis vulgarem, & uſitatam illam ſententiam de ſex annorum millibus, hoc loco adduximus, placet ex doctiſſimis *Jacobi Pamelii Commentar.* quibus D. Cypriani ſcripta illuſtrat, judicium, & cenſuram de iſta Eliæ ſententia aſſignare, quam in hæc D. Cypriani verba commentatur, Septem dies, ſeptem annorum millia continentes. Quæ ſunt *ex lib. ad Fortunatum de exhortatione martyrii*. Quid ſibi velit, inquit, *Pamelius*, non ſatis intelligo, niſi ejus fuerit ſententiæ, in qua ſe aliquando fuiſſe fatetur *D. Auguſtin. lib. 20. de Civitate Dei c. 7.* Quòd ſex annorum millibus, tanquam ſex diebus impletis, ſequeretur veluti Sabbathi ſepti-
C mus, in annis mille poſtremis, ad hoc ſcilicet, reſurgentibus Sanctis. Quæ eſſet utcunque tolerabilis (inquit) ſi aliquę deliciæ ſpirituales in illo Sabbatho affuturæ Sanctis per Domini præſentiam crederentur. Verùm neque hæc probatur opinio, utpotè quæ ad Chyliaſtas accedat quàm proximè, qui hoc ſolo differunt, quod carnales delicias illo Sabbato ſomnient: Inter quos fuerunt Latini Tertull. Lactant. Victorin. Severus, & Græci, Papias, Juſtin. Irenæus, & Apollinarius. Et improbat *D. Hieron. præfat. l. 18. in Iſaiam, & in c. 17. Ezech. Et catalogo de viris illuſtribus*. Neque enim ſatis certa eſt opinio, de duratione mundi ad ſex annorum millia duntaxat, quam *loc. cit.* ſequi videntur *D. Auguſt. & D. Hieron. in illud Pſalm. 89.* Quoniam mille anni ante oculos tuos, ſicut dies heſterna. Quinimmò, refutatur ab eodem ipſo *D. Auguſt. lib. 19. de Civitate Dei, cap. 53.* Et diſertis verbis, indictum *Pſalm. 89* Ubi, quantum apparet, alludens ad verba D. Hieronymi, Auſi ſunt, inquit, homines præſumere ſcientiam temporum, quod ſcire cupientibus diſcipulis, *Actor. 1.* Dominus ait; Non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, & defi-
D nierunt hoc ſeculum ſex annorum millibus, tanquam ſex diebus poſſe finiri. Nec attendunt, quod dictum eſt, Tanquam dies unus, qui præteriit: Non enim, quando dictum eſt, ſoli mille anni præterierant &c. Latiùs id ipſum fit à *Ven. Beda lib. majori de temporum ratione c. 66.* Neque verò quidquam convincit, quod citat. *D. Hier. ex 2. epiſt. D. Petri cap. 3.* Dies una apud Deum, quaſi mille anni, & mille anni, quaſi unus dies. Alioquin enim ſibi contradiceret D. Petr. paulò pòſt ſubjungens: Adveniet autem dies Domini ſicut fur. Sed hoc ſignificare Apoſtolum, rectè docet *Beda in Comment.* quòd in cognitione divinæ virtutis & præterita, & futura, & præſentia æqualiter conſtent. Si autem jam olim reprobata ſit à tantis viris hæc opinio, multo magis explodendum commentitium illud Iſaiæ, non Prophetæ, ſed Rabbini, de ſex annorum millibus vaticinium, quo hodie plerique utuntur in ſuis Chronicis.

Cùm autem contingat non mediocrem partem hominum; E præſertim, qui ſunt alicujus nominis, certis annis in ſummum diſcrimen honorum, bonorum, & vitæ labi: & ſuperior ætas etiam animadvertit, plures præſtantes viros (inter hos etiam, qui annos Climactericos obſervarunt, & de iis ſcripſerunt) hiſce annis extinctos: non inutile fore judicavi, eos ordine annotare loco de iiſdem particulari, ubi de Annis egimus.

Atque hi anni Heroici propter hanc cauſam appellantur, quod Heroes plerunque in iis vitam, cum morte commutant. Etſi autem aliqui non ſtatim in ipſis annis pereunt: tamen circa hæc tempora vires valdè debilitantur, & franguntur, morbique oriuntur, ex quibus raro ad priſtinam valetudinem perveniunt. Et ſic ſi non ipſis Climactericis, aut Enneaticis annis pereunt, tamen paulò ante, aut ſtatim poſt, ferè moriuntur.

Cumque Solon Athenienſis Græcos de hac re verſus ediderit, quia poſteà in Latinam linguam ſunt converſi, & Selnecerus ſententiam de Climactericis annis in ætate hominis, pulchrè verſibus elegiacis expoſuerit, etiam eos huic tractatui inſerere libuit.

Solonis.

7. *Impubes pueri ſeptem volventibus annis*
Claudunt enatis dentibus eloquium.
14. *Poſt alios totidem divorum numine dextro* F
Occultum pubis naſcitur indicium.
21. *Annis ter ſeptem prima lanugine malas*
Veſtiet, ætatis robore conſpicuus.
28. *Quartus id augebit jam ſeptenarius, iſque*
Optima virtutis proferet indicia.
35. *Adde alios totidem, feſtinans ocyus ætas*
Conjugio monuit quærere progeniem.
42. *Sexta ætas animo ſi quid deeſt, addet, eaque*
Diſces, quid deceat, quid quoque dedeceat.
49. & 56. *At quæ ſuccedunt per proxima iter duo luſtra*
Ornabunt linguam dulcibus eloquiis.
63. *Nona ætas languet, tum frigida membra retardant*
Virtutem non unquam interituram animi.
70. *At quiſquis decimam poterit contingere metam,*
Jam tempeſtivo funere conciderit.

Selnecerus.

7. *Infans ſeptenos poſtquam compleverit annos,*
Producti dentes murus & oris erunt.
14. *Poſt alios ſeptem Deus huic conceſſerit annos,*
Fit pubes nato ſemine nomen habens. G
21. *Eſt juvenis, cùm ſepeem alios ſuperaverit annos,*
Et lanugo genas, primaque barba tegit.
28. *His addas ſeptem, virtutis nomine clarus*
Eſt vir, & hæc ætas optima robur habet.
35. *Adiicias alios ſeptem, volet eſſe maritus,*
Et memor arcanæ poſteritatis erit.
42. *His alios jungas ſeptem, prudentia pectus,*
Ornabit, ſtudium nec levitatis erit.
49. *Annumeres ſeptem gravitas ori inclita linguæ,*
59. *Septem alios linguæ congruit ingenium.*
63. *Additur bis nonus, cum ſeptenarius ipſe eſt*
Perfectus, vires ſed nimis interimit.
Scilicet bis annis multi periere duobus,
Quorum laus celebris Marte, togaque fuit.
Hi quoque nunc variis fortunæ caſibus anni
Subiiciunt multos, exitiumque ferunt.
70. *Sed decimus cùm alios ſeptem perfecerit annos,*
Maturam mortem triſtia fata dabunt. H

Ejuſdem ferè ſententiæ *Philo* eſt, ubi ſic inquit.

1. Primo ſeptennio dentes proveniunt. 7
2. Secundo tempeſtivi ad genituram reddimur. 14
3. Tertio barbam promittimus. 21
4. Quarto argumentum roboris conſequimur. 28
5. Tum Quinto tempus nuptias poſtulat. 35
6. Sexto vis intelligendi maturatur. 42
7. Septimo tum mens ſeipſa melior, auctiorque evadit, tum ratio. 49
8. Octavo utraque planè perficitur. 56
9. Nono verò æquitas, ac manſuetudo, affectibus majori ex parte perdomitis. 63
10. Porrò, Decimo, finis vitæ optimus, integris etiam tum inſtrumentis ſenſuum.

Libet hic denique celebrium Eccleſiæ Patrum ſententi